


6
6 L
14


CHRISTINAIS

Michaelis Capellarii

CHRISTINAIS,

SIVE

CHRISTINA LUSTRATA.



VENETIIS, M. DCC.

Ex Typographia Andreæ Poleti.

SUPERIORUM PERMISSU.

INNOCENTIO XII.

P. O. M.

Cultor humillimus
MICHAEL CAPELLARIUS.



Onarium hoc, Pater Beatissime, quod Sanctitatis Tuæ tholis submissus appendo, muneris est addi-

cti subjectio , non animi præsidentis elatio . Quò fit , ut non eadem me expectet Censura , quæ illum manere par est , qui Litterarum præsidio sat fisus Judicis ter maximi oculos non reformidat . Ingens inter utrumque mens , & ratio discrimen ponit . Siquidem non ingenii efferendi gratia ; sed Heroinæ, Heroicique Poematis deducendi caussa ; jure suo id exigentium , ad Majestatis Tuæ Aram venerabundus accedo . Illa enim , Cui Epos navabatur : si Universali Ecclesiæ tale Caput , quale sub finem tertii libri Ea dictante sum executus , opportunè contigisset : Ipsi Illi hoc fieri Anathema palàm habuit in optatis . Nec malè profectò rem Mandanti à me gestam subit augurari ; si, quantum Illud ad exhibendum INNOCENTIUM XII,

tan-

tantum ego ad referendam CHRI-
STINAM me intulero: Quæ porrò
votorum acceſſio futura fuerat optimè
deſtinanti; ſi, Quem in conſiderantis
animi ſpecimen excerpſerat, Eundem
Illum aliis Præteritam Monumento po-
ſito cum gloriæ augumento ab oblivio-
ne vindicaturum divinaſſet? Non im-
probior Operis longi, atque ardui mo-
liminis Orthodoxæ preſertim Fidei al-
laborantis ambitio. Nam quid æ-
quius, quàm Fortiſſimæ, & Sapien-
tiſſimæ Viraginis geſta, & Laurus:
Cui ad Cæleſtis Medici Confugium,
quò Hereſeos veneno egeſto ad Salu-
bria Paſcua, & Vitalia Catholicæ
Veritatis fluenta admitteretur, trium
Regnorum pretio emptum eſt: Ponti-
ficio inferri, ac dicari Sacrario; ut,
unde illi Salus, & Redemptio, inde
etiam Tutela conſtaret, & Perennitas?

Satis

Satis hoc ad metum animadversionis abradendum apud Eum, qui pro totius Orbis piaculo Interpellator audit, & Propitiator; quod ut diutissimè fiat, Publica nuper sollicitudo fuerat, & in præsens gaudium est, & Felicitas.



I verbum aliquod , aut ſenſus hoc in Poemate liberius apparuerit , poeticæ licentiæ relatum volo, ut Lex eſt, & decet S. R. E. cultorem.

In Nominibus propriis (ab Authoribus Claſſicis hactenùs intactis) tam in efferendis , quàm in metiendis jure meo uſum me non inficior.

In reliquis Poeſeos, & Poetarum ſeriò ſtudioſos oratos cupio : in Allocutionibus , & Concionibus , à quibus (utpotè haud faciliori itineris ſalebrâ) non rari declinant ; ne fuſiorem me, aut frequentiorem pronuncient, antequàm pervolutis Iliade, atque Odyſſeâ, probè exegerint: lentè ne, ac ſupervacuè , an non inſtrenuè , ac neceſſariò in rem Poematis extendar.



POE-

POEMATIS
Mens, & Distributio.



N primis quatuor libris Christina Gustavi Svecorum &c. Regis filia, atque hæres, in eo tota est, ut suscepti Imperii fines in immensum proferat, & quàm maximam Nominis celebritatem consequatur. In quatuor proximè sequentibus Reges à Monarchiæ adeptione Fato prohiberi persuasa, & Humanarum rerum fluxu, & pusillitate offensa de Cælo cogitare incipit, Lutherisque fallacias, & imposturas deprehendit. In quatuor reliquis, perpatrato bello StoKholmiam revertitur, seque Regno abdicat, & Romam venit, atque ibi, Hæresi abjuratâ, solemni Lustratione à Summo Pontifice expiatur.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. Frà Raimondo Aſperti Inquiſitore nel libro intitolato: Chriſtinais, Poema dell'Abbate Capellari, non eſſervi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, nè buoni coſtumi, concediamo licenza, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Data 9. Settembre 1699.

{ Alviſe da Moſto Proc. Ref.
{ Ferigo Marcello Proc. Ref.
{ Girolamo Venier K. Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

LI-

LIBRI PRIMI
ARGUMENTUM.


Ermaniæ motus ob nimiam Auſtriadûm potentiam ſollicitæ, Hæreſimque Lutheris, ut populos Religionis etiam diverſitate à Ferdinando Secundo Imperatore dirimeret, arripientis: bellique, quod meditabatur, auſpicium, & ſummam Guſtàvo Adulpho Svec. &c. Regi irritis votis offerentis; donec recentibus injuriis provocatum, quò contagii communio non poterat, jus, & indignatio perduxerint. Ejuſdem Regis futurorum per Magiam Inquiſitio, quà allectus, ſed ſpe falſus tranſmittit, pugnat, & intercipitur. CHRISTINÆ, in quam Sceptrum reciderat, Indoles, & Habitus. Superorum, atque Inferorum, ut Hanc ſibi vindicent, cura, & ſtudium. A Numine Eidem Birgitta legatur, ut commiſſæ caveat, & ad Virginitatem perpetuò ſervandam adhortetur. Plutonis in Hanc inſidiæ. Nutricis ad eandem, quò minùs inclinem


matrimonio conciliet, Oratio. Bergæ Regiæ ſtirpis Viraginis opportunus adventus, quo Chriſtina prudenter uſa intempeſtivam Nutrici differt reſponſionem.



CHRISTINÆ

LIBER PRIMUS.

FOEmineæ Laurus dextræ: Sexumque minorem
Transgressum Virtute Mares: terrâque, marique
Victos marte Duces: Herebique hinc inde dolosi
Sæpiùs elusas artes: susceptaque Regna
Aucta manu, tandemque animo majore relicta
(Magnum Opus, & gratum Superis, Cœloque repensum)
Ordiri, & sæclis amor est mandare futuris.
Musa pares animos mansuro sume labori,
Et patrio confide Polo. Tibi suggeret ille
Gratus opem, viresque dabit, nomenque perenne.



Haud Decus hoc Arctos tantùm commendat, & oras
Tollit Hyperboreas: Ingens hinc gloria Romæ
Exoritur, Superosque etiam contingit, & auget.
Optime Pontificum fidi Spes, Normaque mundi,
Primus ab Undecimo populis donatus anhelis
INNOCUI titulo: Cujus virtute futuris
Cautum etiam est sæclis, meriti ne præmia Dives
Præripiat, Tellusque nocens pinguescat ab Aris;
Jura sed exultent, regnetque Astræa per omnes
Una gradus, tectusque famem contemnat Egenus:
Cui Roma hinc debet saturatam fontibus Oram
Etruscam, atque haustus jam puros aeris: inde
Explicitos Portus, commerciaque aucta, Forumque
Discretum, junctumque simul: Quo Vindice Crimen
Exulat ad Pontum, reducesque amplexa Sorores
Pax tandem mansura redit: Ter supplice plectro
Si licet immensos interpellare labores,

Munia publica non ampliùs venalia: Nepotismus sublatus: Pauperes recepti: Ora Etrusca aere purgato, & fontibus derivatis frequentior, & salubrior: Forum Judiciale collectum, & digestum: Portus Antius expeditus, ac restitutus, &c.

Quos Cælo impendis nullâ mercede repensus
Humanâ, huc oculos paulùm converte, meisque
Ausibus aspira; nam, quam tutaris, & ornas,
Hîc quoque deprendes Fidei se efferre Triumphum:
Gesta nec Illius durâ aspernaberis aure,
Cui, nudâ haud passus condi tellure, Sepulchrum
Stare jubes, juxtàque Tuum; ne majus haberi
Possit, ope Authoris, non Saxi mole superbum.
Morte etiam Victor postquam Gustavus ad Umbras
Præcoce concessit fato, regnata labare
Gotica res visa est, retròque impulsa referri.
Nam neque completi cursus; crudumque sedebat
Martis opus: quin nulla Genus sartura virile
Restabat Soboles patrisque in nomen itura.
Exhaustæ radix superabat scilicet una
Arboris in trunci vim successura recisi.
Hæc CHRISTINA fuit, vix tunc primordia pubis
Ingressa, atque annis spes responsura futuris.
Pandere sed liceat, quo res foret Arctica vivo
Rege loco: altarum sit fas expromere causas
Irarum, magnique vices evolvere belli.
Postquam Romulei Majestas cessit ad Istrum
Imperii, non una Domus venerabile Sceptrum
Obtinuit; tanto sed quæ gauderet Honore
Sæpiùs, & sacros iteraret plurima Fasces,
Austriadûm Gens alta fuit dominata per oras
Innumeras, Indosque etiam ditione Tyrannos
Complexa, & gemino pariter contermina Soli.
Scilicet Hæc toties rerum tractarat habenas,
Cognatumque Polo conscenderat ardua Culmen;
Ut potiùs Gentilis Honos, proavitaque dici
Dos posset Supremus Apex, quàm tradita Patrum
Arbitrio, rursusque vices subitura Potestas.

Ergo nimis lætos metuens Germania curſus,
Creſcentiſque diù ſucceſſu territa Molis
Muſſare, atque olim pondus jactare perenne.
Suſtulit hanc pejus Fidei Luther hoſtis avitæ,
Diſſidiumque fovens populos per aperta licentes
Effudit, Superoſque etiam diviſit, & Aras;
Sævius ut triſtes Diſcordia ſumeret iras.
Et, quamvis Proceres leviter perſtrinxerat error:
Promptius ad partes Vulgus quòd redderet exlex;
Impia Seditio, rabieſque profana placebant.
Sed, cùm tanta forent creſcentis ſemina belli
In promptu, non auſa ſuo ſat fidere marti
Indigenûm lentis retinebat cauta furorem
Motibus externas quærens Germania dextras:
Præcipuè Dano furiis civilibus auſo
Se præſtare Ducem latè per magna cruento
Vulnera, & interiùs ſignis properantibus acto.
Martius æquato primævæ in flore juventæ
Svetica Guſtavus frenabat regna tenore
Jam tunc magnorum famam tranſgreſſus Avorum.
Nam tempeſtivo luſtraverat extera curſu
Imperia, & gentes prudens, urbeſque remotas
Permenſus ſtudio mentem formaverat acri.
Redditus hinc Patriæ Regni vix ſumpſit habenas;
Cùm gravibus circùm bellis tentatus ab hoſte
Ter victor rediit terno, Rhutenaque Danis
Crevit, & exuviis cumulata eſt præda Polonis.
Inde per Arctoas jam formidabilis oras
Innumeros lætâ populos in pace regebat:
Tantaque temperies juvenilibus adfuit annis;
Nollet ut Eoos Riphæis tractibus Axis
Arcticus, aut Zephyrum Borea mutare tepentem.
Hunc quoque tentarant ſacræ contagia tabis;

Sed

Sed nova Relligio tantùm dubitabile Verum
Fecerat, atque animo tristes offuderat umbras.
Ergo recusantem frustrà concivit in arma,
Ingessitque pares Germania turbida ritus.
Sed, quos non potuit Divûm committere causa,
Dissensusque Poli, nudatos egit in enses
Vilis in extremâ turbatus Limes arenâ.

Piscatorum Tuguria in citeriore Baltici littore, quod Gustavus sui esse juris contendebat, ab Austriacis distracta, belli causam præbuere.

O' nunquam certis discreta Potentia metis,
Regnandique fames, ardorque immensus habendi!
Quæ procul oppositos signent discrimina fines:
Quæ satis amotas dirimant divortia terras:
Si medium, semperque furens non sufficit æquor?
Pulsa quies subitò: momenta accommoda nactus
Hortatur Germanus iter, causamque, manumque
Jungit, & admisto geminantur robore vires.
Qualiter Eridanus patrio de monte solutus
Exiguas trahit arctus opes, mox flumine multo
Auctus in immensum molem protendit aquarum,
Pastorumque domos, & ditia culta superbus
Obruit, & latè propulsum regnat in æquor.
Protinus Europe cladis præsaga futuræ
Horruit, & magno tremuit ceu quassa Tridente:
Armaque per nubes infestis obvia signis
Arsere: haud aliàs Aquilo surrexit in Austrum
Tantus: Hyperboreus Germana in littora Pontus
Impegit, dubiusque sui se condidit antro
Ister arundineo, magnamque coercuit urnam.
Ilicet arrectæ mentes, venturaque fata
Per varias quæsita vias; nec sidera tantùm
Inspecta, & numeris excussa audacibus: ipsis
Exitus infernis est exploratus in antris.

Belli exitum utrinque per Magiam etiam exploratum vero veriùs.

Anxius in tantum dubitantia pectora crimen
Egit amor, pariterque timor. Sed quanta coercet

Huma-

Humanam caligo diem ! Peccavit in ambos
Ille furor populos, partìque illusit utrique.
At, qui præcipuè Divos quæsivit opertos,
Rex fuit Arctous; namque ipsi incumbere summam
Gnarus erat belli, famæque in nomen itura
Læta, sinistra suæ: tantoque impensius omnes
Versabat casus, & cæcas oderat umbras.
Ergo futurorum cupidum trans ultima regni
Tendere non piguit, sylvas ubi Narva nivales
Explicat, & Moschæ limes se porrigit oræ.
Namque ibi Thessalidûm studiis non una Sacerdos
Dedita vicinas famà compleverat urbes.
Sed, quæ Vaticinas vetitâ præcederet arte,
Dorcas erat longo contingens sanguine Colchos,
Nec Circe inferior; toties vaga flamina ventis
Abstulit, & verso suspendit in æquore fluctus,
Sidereosque choros, fluviosque retorsit in ortus,
Roboraque à sylvis frustra radice tenente
Abscidit, & vivos jussit migrare molares
Sedibus à patriis, aliàque in rupe minari.
Latiùs at Stygiis tam dira potentia regnis
Tenditur: agnoscunt manes, vocemque verentur,
Infernusque timet furvà cum Conjuge Rector.
Ergo pares inter per tot miracula primam
Hanc Gustavus adit nomen mentitus, & altam
Dissimulans Sortem, donisque, & thuris honore
Sollicitat proferre deos (in rebus opertis
Usque adeò & magnos seducit splendida Reges
Ambitio, Laurusque anceps) O conscia Fati
Virgo, ait, in cassum nemo quam consulit unquam:
Jam jam sanguineum committet regna duellum
Gotica Germanis. Quis nam certamina tanta
Exitus expectat ? quem Mars extollet amicus?

Oranti

Oranti ſi prona venis, Fatumque recludis;
Haud tenui mercede ſcies reſponſa locutam.
Munere ſi caperis, largo penſabimus auro
Prolatam Lacheſin: merito ſi thure rependi
Exigis; erecto Numen venerabere Templo.
Flectitur allectu famæ, torvùmque renidens
Lætatur Præſaga coli, tenebraſque profundas
Expectare jubet, ſociûmque arcere catervam.
Nox ruit interea, Vateſque erumpit ab antro
Diſperſas inculta comas, indutaque pallam
Sanguine ſuffuſam, virgâque inſtructa potenti,
Ore minax torvo, terretque, & duplicat umbras.
Horror habet Regem; Fati ſed cura tenendi
Exuperat, ſubigitque metum. Tunc lacte recenti
Virgo ſcrobem replet, pullæque cruore bidentis
Inficit, & nigrâ frontem vallata coronâ
Ungue ſolum rumpit, glebæque immugit apertæ,
Scrutaturque Chaos, trepidumque interrogat Orcum.
Nec cunctata diù mox erigit ora, truceſque,
Attollit vultus, deprenſaque Fata reſolvit:
» *Arctica Teutonicis ſuccedet Claſſis arenis*
» *Rege ſub indomito, populiſque receptus amicis*
» *Vandalus adverſas dominabitur enſis in oras.*
» *Obvia cuncta ruent, ſummoque in margine Cæſar*
» *Pendebit. Manifeſta damus; nam ſingula Parcæ*
Oſtendere palàm: tantùm pars una tuentis
Guſtavus ad Luzen prope Lipſiam interceptus eſt. *Erepta eſt oculis; nec te ſat, martia Luze,*
Prendimus: inſolitæ viſus luſere tenebræ.
Sed fuga Cæſareæ partis, tormentaque rapta
Guſtavum viciſſe docent, lauruque potitum.
Hæc ultrò tibi pando libens & dona remitto.
Sat mihi pro gazis, & meſſis odore Sabeæ
Poſſe frui gladiis, & magnis mortibus uti.

Dixit,

Dixit, & instanti populorum læta furore
Proripuit se se, sylvasque refugit in altas.
Nec minùs ad socios alacer convertitur Heros,
Nec spem fronte tegit: fatis docet arma probari
Fusiùs, & certas longo ordine crescere palmas
Nescius in mediis hæsuram fluctibus alnum,
Nec tantum aversis fas cuiquam tendere Divis.
Plenior ergo animis, dum spes non sentit inanes,
Suffecit fatis ipso quoque funere Victor.
Ocyùs instructo complevit milite classem,
Transmisitque salum, populisque ferocibus auctus
Non semel Austriadûm disjecit signa, parùmque
Absuit Imperii summam ne scanderet Arcem,
Sed, nimis extremæ dum se discrimine pugnæ
Negligit, infidas implevit Virginis umbras
Infernæ; & magno signata est funere Luze.
Namque ibi fatales audax impegit in ictus;
Nec, nisi privatâ Mavors sub casside clausum
Destituit. Regis Spolium non contigit ulli.
Quin nec in ignotum quisquam sibi vindicat ausus.
Clauditur in tenebris lethalis vulneris Author,
Insontisque jacet laus formidata furoris.
Ludere diversæ per mutua vulnera partis
Sic placuit, Fortuna, tibi. Victoria pluris
Constitit Arctois, clades quàm largior Hosti.
Quòd, si tam lecto fuerat pensanda cruore
Laurus Hyperboreis, meliùs Germana lateret
Nunc quoque pugnaces & gens, & præda Triones.
Sed non ista fuit bellorum maxima merces,
Nec Gustavus erat, nomen cui Gotica primum
Laurea deferret; fatis nam debitus Heros
Postmodò se prompsit, cursumque implevit, & ensem
Non alius potuit casusve, hostisve morari,

Christ. offensæ immemor, & compendij negligens, quoties precibus, non armis subibatur.

Prodiga quàm lucri Virtus, gaudensque refundi
Pacis in accessum, quoties se subijcit Hostis
Jam minor & supplex. Tamen hac quoque parte feretur
Didita per populos, nulloque tacebitur ævo
Gloria Gustavi; siquidem vicisse videri
Vel post fata potest. Finem victricibus armis
Quæ daret, ille dedit. Parcâ properante recessit
Noxior Austriacis; Natam nam versus in altam
Ceu foret, excussit sexum, mentemque virilem
Incendit stimulis, & imagine Patris honoras
Immisit furias, & posthuma bella peregit.
Reginamque priùs Victoria plausit ad Istrum

In Germania statim post patris interitum Regina ab exercitu proclamatur.

Christinam, flexoque genu Germania magnum
Nomen adoravit, patrius quàm nosceret Orbis
Translatum imperium; Dominamque imponeret Arcto,
Auguriumque fuit Naturam semper in Illâ
Cessuram, & partes Virtutem velle priores.
Morte Ducis sors versa retrò, Cæsarque refectus
Viribus Ausoniis, atque auro gentis Iberæ:
Ipsaque defecit, supplex quæ bella poposcit,
Fluxa fides Sociis Augusti fata secutis.
Nec minùs algentes Populi jam mente remissâ
Ditibus exuviis pleni, natalis amore
Telluris flexere gradus, martemque perosi
Longinquum, duros vertere in læta labores
Ocia, nec, quantum prædæ, meminere triumphi.
Sed neque Gustavo cessavit cura perempto
Carpere Germanos metuentes rursus in arma
Arcton, & in belli furias pejoris ituram,
Tantus ab exili Truncus se stirpe levare
Visus, & ingentem ramorum tollere sylvam.
Nam, de Christina quicquid tunc Fama canebat,
Nil non censeri meritum, dignumque timeri,

Nil

Nil erat exiguum, teneris sic plenior annis
Exuerat sexum, Regemque interna coquebat.
Non ita Grajugenas Patris post fata superstes
Astyanax torsit, quamvis jam Troja jaceret:
Seminaque in puero belli reditura peracti
Mente videns Calchans hoc vivo stare monebat
Pergama, & hostiles mox incensura Mycenas.
Dicitur elatam manibus, cùm versus ad arma
Teutona vicinis dubius se accingeret orsis,
Hanc Genitor monstrasse Polo, Superisque vocatis
Vocibus bis tenerum commendavisse timorem:
Numina sollicito non sat manifesta, sed olim
Certa mihi, belli minimùm successibus angor
Instantis. Vincat, quem Mars, Virtusque probabunt.
Hanc tantùm servate, precor. Caruisse virili
Germine nil querimur, propria hæc si dona manebunt.
Vivat, &, ingentes si Sors abruperit actus,
Sarciat, & nostros absolvat, Nata, triumphos.
Talibus oranti Proceres clamore secundo
Plauserunt; & visa Patrem sensisse precantem
Arctiùs explicitos adduxit Parva lacertos.
Sed nec in Austriaco plus est experta pericli
Undiquê jam pleno, quàm blandâ invenit in Aulâ.
Connubium nam mœsta Parens, primique Dynastæ
Urgebant, charos quò tolleret illa Nepotes,
Hi, nova ne instaret cœptis Regina Paternis,
Ociaque excuteret, lentosque in bella vocaret,
Mascula fœmineis quærebant frangere curis
Pectora, & à Regni sensim deflectere clavo.
Indolis erectæ nam nullos alta latebant
Indicia, atque olim gentes suspenderat omnes
Solus amor laudum, bellorumque una cupido;
Ut, sua Sceptrigerum quamvis connubia primi

Ambirent, nullus manifesto accedere voto
Fideret, & nimios reverentia frangeret ausus.
Ut primùm Genitor fatalia contigit arva,
Prædaque Vandalicas sparsa est Germana per urbes
Intendere Nurus oculos, auroque rigentes
Hauserunt pallas, rutilosque arsere lapillos.
Illa nec obliquo dignata est lumine cultus
Fœmineos, sed scuta Virûm sparsasque cruore
Tractavit galeas, nomenque, & gesta poposcit,
Doctaque non raro laudum cumulavit honore.
Nec Dux, aut miles bullis, & torque decorus,
Charus, & in precio, sed, cujus pectus, & ora
Vulneribus pulchris turbarat multa cicatrix.
Hoc decus, hoc animi, dextræque hoc testis; inanes
Oderat ornatus, & Virtus nuda placebat.
Nuncius adverso, nec, si properasset ab Istro,
Num pater incolumis, teloque intactus ab omni,
Quærere sustinuit; sed, qui processus in armis,
Quantus in Austriacis, quantusque in Civibus ardor
Proferri, martisque vices, numerusque, jubebat.
Hinc Patris ad Luzen funestis Casus in umbris
Parciùs ingressus Natam, correctaque lucro
Jactura haud parvo; nam, quæ cecidisse Parentem
Prodidit, hæc eadem Victorem Fama locuta est.
Ergo, licet præcox, jam tum matura videri,
Jam tum mente capax, & certi rebus in arctis
Provida consilii. Qualis vix edita Pallas
Consulta est Divis, Patremque in bella Gigantum
Rexit; &, Æthereum si quod fatumve, scelusve
Vinxisset Regem Saturni vincla rependens,
Par erat illa Jovi, trepidisque in turbine tanto
Suffectura Deis, Cœli seu sceptra minari,
Seu nunquam positas Superûm componere lites,

Sive

Sive opus in Phlegram telum torquere trisulcum,
Pinguibus & tauris non flecti, aut munere vinci.
Hinc timor Austriacis, hinc tristi somnia curâ
Turbida, nec Sociis sat pectora læta dolosis.
Illa pyram Patri, tumulumque erexit ad auras,
(Tunc quoque nam moris retinens erat Arctos aviti)
Ingentemque Animam spoliis, & munere largo
Dotavit, lachrymisque etiam, jactura petebat
Non quas tam præceps, nec, quas speraverat hostis.
Inde struem latè mox accensura minantem
Vocibus his manes priùs est affata paternos:
Non hæc pompa tuis, Genitor fortissime, gestis
Æqua, nec, exactos omnis si Græcia ludos
Instauret. Merito dabimus tunc justa Sepulchro,
Cùm Domus Austriadûm nostros considet in ignes,
Ardebitque mihi ripis flagrantibus Ister.
Dixit, & armifero strepuerunt busta fragore,
Ingestamque facem læto excepere tumultu
Robora, & undantes eructavere favillas.
Officiis sic illa patris funebribus ornat
Infelicem Animam, nec, quanta amiserit, audit.
At Pater Omnipotens, Hominum cui pervia corda,
Hæc spectans, magnoque operi præsentiùs instans,
Imperat acciri Birgittam. Nobilis ortu
Hæc fuit in Cimbris quondam; nam stemmatis ordo
Sanguine tangebat Reges, mox addita Divis
Auxerat Æthereas Cœli jam Nympha choreas.
Sed, postquam Superis Cives averterat error,
Lugebat raptas heu! pêr declivia gentes.
Indigenas, Numenque olim primæva rogabat
Fœdera restitui lapsis, fulmenque morari,
Atque ait: Approperant tam longis debita votis
Tempora. Consurgent populi, tenebrisque relictis

Libera mansuro convertent lumina Soli,
Virginis Arctoæ si sana exempla sequentur;
Linea non dubios signabit tanta receptus.
Tu modò Christinam curâ propiore tuere,
Maturamque Polo serva; ne Ditis iniqui
Vis trahat incautam, prædâque exultet opimâ.
Illam ego jam pridem cunctis de Regibus unam
Selegi, & magnos secrevi certus in actus;
Tantaque cùm dederim, longè majora supersunt.
Interea adversas impellat Virgo catervas,
Ingentesque animos bellorum in pulvere verset.
Stat donare moras, atque expectare profani
Turbinis ambages, avidæque ignoscere menti;
Auctior ut tandem meliora in castra reverti
Gaudeat, & nostri crescant compendia Regni.
Hi primi cursus, alios mox obteret hostes,
Inducetque alios Cœlo plaudente triumphos.
Ab Hæresi expiata, & Cœlo recepta. *Præcipuè tamen Illa Thoros, Regumque minores*
Contemnat Tædas, Thalamo nam debita nostro est,
Intactamque manet melior Genialis in Astris.
Dixerat, & rutilos jam Diva reliquerat Orbes,
Reginamque graves volventem pectore curas
Nacta, pruinosas cùm Sol jam solveret umbras:
O' decus Arctoi, mansuraque Gloria Sceptri
Tende, ait, armiferos audax urgere labores,
Tende, age. Magnanimis Superûm Rex annuit ausis,
Successusque tuos (quamvis inimica) secundat.
Quid, cùm Lustratam non auferet impius error!
Nunc, quà vis animi, terrenaque gloria monstrat,
Ingredere, & generi penitùs prælata virili
Plurima non unâ molire in gente trophæa.
Sed, laudum cùm tanta seges succrescet in armis;
Neu tibi sic fausti referas conamina martis,

Ut

Ut nihil auxilio tribuas ingrata Superno.
Sit sua pars Superis. His te vicisse memento
Auspicibus, sociumque operis ne sperne Tonantem;
Hic saltem in tantâ placeat caligine Cultus.
Nam mox tempus erit, cùm te curasse pigebit
Casuras laurus, perituraque sceptra tenere,
Et nihil in terris, quod te delectet, habebis.
Numen, & Astra petes; nec te frustrabitur ingens
Ambitio. In cassum dudum te vindicat Axis
Arcticus: in cassum Thalamus te destinat ullus
Terrigenûm. Supero sunt hæc connubia Regi
Debita. Conjugii Prædes ego certa superni.
Tu modò tam magni Sponsi, Tedæque superbæ
Digna veni, & tenues hîc dedignare maritos.
Dixit, & attonitam blandis amplexibus ambit
Nectar odoratum spargens, seque alta per auras
Rursus in ambiguis redituram casibus aufert.
Ut stupor excussus, nubem Regina coruscam
Prosequitur visu, vocesque ad sidera jactat:
Quò te, Diva, refers, Cœlo quæcunque sereno
Huc delapsa venis nostràs dignata tenebras?
Quò fugis, & medio nutantem linquis in æstu?
Nec Divam dubitare licet; tam multa renidet
Fronte dies; qualemque Pater mihi finxerat olim
Virtutem, talis nostros rapis aurea visus.
Arma sequi Numen, cursusque; ausus que secundos
Annuit aversæ: bellis feliciter actis,
Atque aucto Imperio, terrarum sceptra tenere
Sordebit, Cœlumque petam, regesque maritos.
Exosæ Ætherei promittitur Aula Tonantis,
Et Thalami non æquus honos. Quis nubibus ægrum
Expediet tantis animum, tenebrasque resolvet?
Sed sperare juvat. Mentem Tu, Diva, labantem

Dirige, & in cæco fluitantem turbine firma.
At Tibi Rex Superûm, quem densâ in nocte videre
Mens obsessa nequit, quas possim reddere grates
Munere pro tanto, pronumque rependere Numen?
Tu, quod in humanis nil æquè ardemus, in hostes
Prospera bella dabis, perque æmula regna trophæis
Crescere, & Heroum nulli concedere famâ?
An ne parùm fuerat Regum de sanguine nasci
Te donante genus, pleno ni jure potiri,
Altaque cum nullo partiri sceptra juberes?
Ulteriùs profundis opes, majoraque rursus
Adijcis immeritæ, cumulumque imponis acervo?
Nempe etiam Thalamos, & casti fœdera lecti
Indulges, spondesque Thorum, propriamque vocabis
Sedibus in superis? Nam, quòd mortale monemur
Declinare genus, tædisque carere, superbi
Muneris est instar; crescitque in fœnore summa.
Sed, quocunque loco Famulam dignaris in Astris,
Quando erit illa dies? quando hæc in gaudia tollar?
Sic ait, & magnis animosa accingitur orsis,
Numen & inquirit, visusque ad Sidera tollit
Sæpiùs, &, quamvis noctem non vicerit omnem,
Non tamen à recto deflectit tramite cursus,
Atque iter ingreditur, quà ducit ad ardua Virtus,
Certiùs oblatus donec se proferat Æther.
Qualis in everso deprensus navita ponto,
Tutatur quem firma ratis; si forte reluxit
Igne Pharos subito, cæcasque illuminat undas
Lampade prolatâ: remos huc vertit, & alas
Velorum; nimiusque facem licet obruat horror,
Auctaque vis hyemis; tendit tamen impete certo,
Quà meminit vidisse jubar, nullisque procellis
Excutitur cursu; fidæque accedet arenæ.

Visa

Visa semel dubias tantum lux explicat umbras.
Acriùs hæc inter furvâ de sede Tyrannus
Extulit ingenium Stygius, fœcundaque fraudum
Pectora concussit, studiumque intendit, & astus,
Nescio quid magnum nigris non utile Regnis
Affore conjectans, suspectaque sidera longè
Anxius inspectans, raptisque intentus habenis.
Ille Hominum generi numquam saturabilis iræ
Incumbens odiis, nullo nec tempore lentus
Exitio, algenti tunc grassabatur in Orbe
Fusiùs, & geminâ vastabat clade Colonos.
Namque animis Fidei corruptis haustibus almæ
Dira propinarat specie fallente venena.
Mox trucibus furiis in mutua vulnera Cives
Verterat, & sectis scelerata injecerat arma.
Nec sat inexpleto; summotam turbidus Arcton
Eminus afflavit, inque extera bella Trionum
Excivit populos, dubioque involuit in æstu
Arcibus hinc latè captis, hinc Rege perempto.
Turbine sed tandem tam longi martis, utrinque
Viribus attritis, surgebant segniùs iræ.
Nec fessis belli finis, pacisve sequestræ
Invisum jam nomen erat: poterantque coire
Fœdera, ni fallax se interjecisset Avernus,
Et tantùm humano caluissent corda furore.
Excita solliciti mens hinc, atque anxia Ditis:
Nec timor hic solus, pejor sed cura tenebat
Altera sollicitum, pectusque urebat anhelum;
Christinæ nam tanta videns præludia magnæ
Lapsuram timuit deprensi è faucibus Orci,
Libera ab infectis si quando abscederet oris.
Ergo utrìnque cavens duplex ne præda periret,
Ocia Christinæ, Germanis gentibus arma

Perstitit ordiri, partesque est versus in ambas.
Hàc subit illecebris, hàc libertate licenti
Ingreditur, varioque serit molimine casses.
Monstrum est in nigris, quo non truculentius, antris,
Et, quo plus nullum patrias convectet ad umbras
Prædarum, & lucri, dirarum prima Sororum.
Squamifero non angue latus præcincta, manuque
Flagrantem intentans pinum, pallâque cruentâ
Horrida, cæruleis nec sibila, & hirta colubris;
Ore sed innocuam casto simulata puellam,
Thura Polo intendens, vultuque in sidera verso,
Candidaque in niveam deducens suppara frontem,
Si quando stat luce palàm, populisque videndam
Se dat, & ostentat fictæ spectacula formæ.
Sed clam fœta minis, indeprensoque veneno
Inficiens animos civiles exerit enses,
Et consanguineos haurit pèr bella cruores:
Sæpiùs in terris versata, atque hospita mundo:
Nec solùm tellure nocens, sed noxia Cœlo,
Et plus, quàm sontes oderunt Astra Gigantes,
Irata in Superos, ipsique infensa Tonanti.
Hæc modò Germanis victrix remearat ab oris,
Arcturique plagis, unde illi plurima cladum,
Lucrorumque seges, prædasque elata recentes,
Agminaque inferno numeraverat acta Parenti.
Successu tumidam, circumfusasque Sorores
Invidiâ urentem (nam cui vis tanta nocendi?)
Hanc vocat Umbrarum Rector, geminique pericli
Admonet, atque acuit stimulis, & talia mandat:
Concute fœcundum rediviva in prælia pectus,
Dissidioque potens coituræ in fœdera pacis
Obstrepe Teutoniæ, medicataque pocula diris
Multiplica succis, & largiùs ingere virus.

Mox

Mox aliò converte gradus , dubiosque Triones
Arripe nil parcens operi ; nam Cardinis alti
Arbitra , ni totis obnitens viribus obstes ,
Respiciet retrò , patrioque accedet Olympo
Noxior exemplo , quanto præstantior ortu ,
Ingenio , atque animis . Desertrix una phalanges
Innumeras , lectasque trahet . Tantum instar in illâ ,
Tantum opis in Superos subit hinc . Obsiste , retunde
Rumpentes radios , dubiæque crepuscula lucis ,
Conantemque premat densis nox aucta tenebris .
Desidia huic primò , Regumque domestica pestis
Innectat Luxus laqueos ; tædasque maritas
Conciliet saltem , si non pejora Cupido
Hortari poterit , thalamo quò pellice captus
Effluat in curas animus resolutus inertes ,
Nec vacet Infernas rimari , & prendere fraudes .
Has partes implebit Amor , qui jura perosus
Tendere per vetitum gaudet , tua signa secutus
Namque aderit , nutusque tuos . Si blanda Voluptas
Irrita ludetur , succedant iræ , furorque
Non unus , gliscatque domi novus hostis , & extra .
Ipsa Parens animo penitus corrupta rebelli
Sumat in absentem magnis dissensibus iras
Prælia sperato frendens prælata Cubili ;
Ut minor , & tantis frustra obluctata procellis
Hæreat ancipites inter distracta tumultus .
Te labor hic ingens , hæc te provincia poscit
Tanta , manusque tuas . Vires intende , dolosque ,
Et , qui nos deceat , magnum molire triumphum .
Tecum erit Impietas , mentitaque nomen , & actus
Ebria Libertas : tot suffectura ruinis
Una licet venias , ritus discordia sacri
Hæresis , invicti Mars , & Bellona Barathri .

Hæc Pluto, & Pestis titulis inflata superbis
Sedibus erumpit stygiis, terrasque revisit,
Diversumque nefas sociis partitur, & urget
Callida successus jampridem gnara nocendi
In sua Regna furens, possessaque corda pererrans.
Nec labor in vanum Belli tentatus. Erynnis
Sæviùs incubuit, coituraque pacta diremit.
Nam, dum jam melior vindictæ flagrat amore
Austriacus, spoliisque tumet gens Gotica primis;
Fœdera distinuit, lituosque inflavit Enyo
Rursus, & irarum fax integrata reluxit.
Nec minùs incœptus visa est habuisse secundos
Altera pars fraudis; generis namque anxia Mater
Urgebat thalamos, & jam matura petebat
Conjugia, & Natam tædarum in pacta vocabat.
Plenior ergo animi votis hinc inde potitus
Ceu foret, exuvias jam tum jactabat opimas
Dux Herebi, & victo se se ostentabat Olympo.
Demens! nam geminæ conatus, orsaque fraudis
Irrita cesserunt avido; quoque ibat utranque
Certior in prædam, major jactura tumentem
Contudit, & pejus plexerunt Astra superbum.
Perque dolos ipsos, commentaque lusa Barathri
Est invecta Salus; Mars quando hinc, inde resurgens,
Injectæque morę justos Heroidis annos
Implère, & teneros expectavere lacertos.
Altera nec fraudum pars est sortita secundos
Prospera successus; nam nulla est tæda reperta
Christinæ victrix, omni quę libera vinclo
Arripuit gladium: sed paci intenta, trucesque
Composuit motus, populosque in pristina duxit
Gaudia discordes. Nec se objectare furori
Sat fuit exteriùs, terrenaque damna mederi.

Esse

Esse salutarem recidiva in prælia versis
Duxisset Christina parùm : majora mereri
Institit . Exiguum visum est relevare caducas
Res tantùm , & fluxas interpellare ruinas .
Deceptis animis , dudumque in devia tractis
Profuit exemplo , docuitque ad sana reverti
Fœdera Cœlicolûm duce se , crimenque piare .
Non tamen eversæ par tunc medicina saluti ,
Cùm foret ipsa etiam diris afflata venenis .
Pestifero tunc æqua malo , victrixque latentis
Accessit manifesta luis , lethalia prorsus
Pocula cùm vomuit , fœdumque perosa magistrum
Lustrato Latios complexa est pectore ritus ,
Romanumque jubar purgatis visibus hausit .
Constitit ex illò , quàm densâ in nocte jacerent
Illusæ mentes , quàm longè à tramite recto
Abreptas ageret præceps dementia gentes ;
Namque altè excussi cui plus examinis ? acris
Certior intuitus cui vis ? cui cariùs emptum
Dedidicisse nefas , & projecisse venenum?
Quòd si non raros caligo prima coercet
Segnis adhùc , retrahitque gradus , abitumque moratur ;
Non , quòd certa parùm sit Dux operisque , viæque ,
Lethiferos ducunt per cœca oblivia somnos ;
Sed nimis incoctos noxæ quòd respuit Æther ;
Nec ludit vertigo vetus , sed pœna repellit .
Jamque propinquabat pubenti nubilis ævo ;
Cùm minùs inclinem tædis Proceresque , Parensque
Sensere , atque aliò volucri contendere cursu .
Ergo animis trepidi Comites lenire ferocem
Mollibus hortantur studiis , magnisque paratas
Pollicitis , pulchrè si res successerit , implent .
Artibus Hæ variis submittere pectus adortæ

Dissimi-

Dissimile illecebris circumsedere vicissim
Dispositi ignaram laquei ; nec defuit ulli
Ingenium parti . Pictos hæ nectere flores,
Hæ torquere comas , atque addere vestibus aurum,
Sidonioque sinus , gemmâque inscribere , filo.
Nunc tentare chelyn , modulos nunc jungere chordis
Aggressæ , nunc arte leves miscere choreas
Nil , nisi conjugium , sperataque gaudia lecti,
Ardentesque procos , & Regum vota sonabant.
Nec somni sincera quies , saltemque soporis
Exiguæ sine fraude moræ , subeunte per umbras
Infernæ ingenio Pestis ; nam Morpheus omnes
Aptus in effigies verti sopita figuras
Pectora per teneras audax obsederat hostis,
Insidamque dies referebat perfida noctem.
Si licet effictis verum monstrare Camænis,
Non aliter Phœben , cùm primùm fulsit in alto
Axe , Cupidineæ circumsedere catervæ.
Anxia namque Venus , regnoque intenta timebat
Hanc quoque Virgineis (nam frons collecta , rigorque
Prodebant animos , & vox non fracta viriles)
Partibus adjungi nullius fœdera lecti
Passuram , blandisque ideò corrumpere mentem
Quærebat studiis , facibusque afflabat opertis.
Illa tamen Fratri , lateri vel Palladis hærens
Irrita fallacis lusit commenta Diones.
Leniùs insidias passa est Regina latentes
Principiò , & vafræ fastidia pertulit artis.
Inde supercilium duxit , blandumque venenum
Aspernata palàm Comites submovit ab aulâ,
Nocturnumque nefas vivâ purgavit in undâ.
Seriùs Altricem vittis , annisque verendam,
Emeritamque diù , Regumque è sanguine ductam,

Consi-

Consiliisque gravem vani rejecit ab ausu
Conatus . Huic Gnatus erat , quem dextra , decorque
Fecerat insignem , generique æquabat avito:
Et , quod præcipuum Juveni conflarat honorem ,
Non procul à Dominâ teneris nutritus ab annis
Hauserat ingentes animos ex indole celsâ
Christinæ , & nudâ meruit Virtute placere ,
Magnæ olim fortuna Domus cùm fracta jaceret.
Hunc avidis Genitrix quærebat jungere votis
Anxia Reginæ ; sed , spes non ausa professas
Prodere per tacitum , studioque subibat operto.
Creverat & nuper cupidæ fiducia matri ,
Præscia nam Babylon Nato consulta ferebat
Deberi Solio , fatisque in regna vocari .
Hinc Thalami speratus honos , Dominæque superbum
Connubium , & summum per Lecti fœdera Culmen.
Ergo sibi , Natoque favens , instructa diserto
Jampridem eloquio , sed non sat pectore firmo ,
Conscia conatus nimii , momentaque nacta
Commoda Reginam sic est affata vacantem :
Alloquor arbitriis quòd Te modò sola remotis ,
Ne solam , Regina , putes . Hoc utitur ore
Quilibet è populis , quos Arctica Sceptra coercent ,
Omne Ævum , Sexusque omnis , Plebesque , Patresque ,
Ipsa etiam Genitrix , fatis quin raptus iniquis
Ipse etiam Genitor : tot vox complectitur una.
Nec , quòd lenta Parens , Procerumque ex ordine cessent
Se proferre preces , & publica vota morentur ,
Sim minor ipsa Tibi . Genium fortasse verentur
Erectum , nostroque favet consensus honori ,
Dum putat Altrici tantum dare juris Alumnam ,
Gratior ut dominas accedat nullus ad aures.
Alloquiis saltem quis seligat aptiùs horam?

Cui

Cui toties pateas, iterum iterumque rogari
Permittas, longasque moras, & tædia dones
Obsequio, & curæ propiori, flexilis annis
Jam dudum impensis, & pensatura relictos?
Non tamen in tantum nimius se tolleret ausus,
Quamvis prona mihi, quamvis obnoxia: si non
In tua consilium contendat commoda nostrum,
Reginæque priûs, mox se probet utile Regnis.
Ter quater exacti convertitur ambitus anni,
Ex quo martis opus procul hinc gesturus ad Istrum
Induit arma Parens; &, quamvis indiga palmæ
Nulla dies ierit, convectaque præda doceret
Successus alacres, fortunatosque labores:
Non minùs alterni lux expers nulla pericli
Præteriit nobis. Illic pro Rege timemus
Dum nimis exposito; parva hîc, atque unica Proles:
Conficit, & nostras bivio res cogit in arcto.
Quòque magis terris per Vos se miscuit Æther,
Hôc decus indultum citiùs sibi velle remitti
Cura verebatur; nec cura hæc vana subibat.
Cujus Hyperboreos pejùs jactura Colonos
Perderet, & magnos affligeret altiùs orsus,
Si foret alterutrâ lugendum clade, latebat.
Fas dixisse tamen (pietas licet obstruat aures)
Abstulit hoc dubium Genitor per funus acerbum,
Ante tamen precibus. Felix, cui fata dederunt
Morte viam votis, nec Laurum morte negarunt!
Nempe recessurus patriâ Gustavus ab aulâ
Te sibi præferri titulis ingentibus omnes
Orabat Superos, Te vitæ divitis usu
Fusìus extendi, pro se nil fata moratus:
Securus, quæcunque foret fortuna. Nec ulli
Sæpius hoc ingens animo commisit anhelo,

Quàm mihi, Depositum. Duplex hinc addita nobis
Cura Tui, vigilesque agimus pro munere tanto
Altiùs excubias, Nataeque, Patrique timemus.
Nec Tu morte putes duxisse oblivia Natae
Immemorem Superûm. Quoties me noctis in umbrâ
Urget, & inquirit, pro re blandusque, minaxque?
Spem trepidae implerunt, & magni vota Parentis
Respexere Dei. Nostri minùs aegra laboris
Contulit anxietas, quamvis Tibi nocte, dieque
Sollicitos animos, curasque addiximus omnes.
Sed tua Te Virtus sat circumspexit, & auxit
Undique. Nutricem melior formavit Alumna.
Hactenus indulsit propriae Christina saluti,
Et decori. Populis nunc se Regina, suisque
Impendat Regnis. Ingens te vindicat Arctos,
Praesidiumque petit, nullo quod tempore nutet,
Casibus & nullis. Hoc ut contingat, & omnes
Impleat oratus, Thalami sperata jugalis
Pacta dabunt, foedusque Thori, quò foenore pulchro
Teque, Patremque simul felix Lucina reponat,
Nostraque per longum spes, & fortuna perennet.
Exigit hoc Genitor non rarò. Saepiùs urget
Maesta Parens, si non ardentiùs. Illa Nepotes
Flagitat, & vidui solatia justa cubilis
Quo nudata Viro! Non te tamen audet apertè
Poscere, de magno tantum progressa Parente
Nil de Matre tenes. Taceo Vulgusque, Patresque,
Pendet ab Unius quorum fortuna, salusque
Successu generis. Malefidas excipe partes,
Austriacosque, Thorum toto deposceris Orbe.
Quid decor, & tanto dotata, & dives honore
Forma petit, quamvis hanc dedigneris? An illud,
Quo Te praecipuè cumularunt munere Divi

Spernendum, minimumve putes? Tot scilicet Hæres
Unica Regnorum Superis sua dona remittes.
Heu! spatio vix usa brevi? propiorque repulsæ
Corrumpes nullo cessurum fine favorem?
Nec, quòd sufficias bellis, animosaque monstret
Heroum Mens alta viam, laurusque paternas
Ostentans Bellona manu tibi porrigat hastam
Fulmineam, majus speres armata, feroxque,
Quàm fœcunda decus. Surget plus inde pericli:
Hinc placidæ plus laudis erit; pluresque triumphos
Gloria tuta dabit. Numquid præstabit in arcto
Cogere spes tantas, omnique patere sub ictu
Momento gladii (Reges non respicit ensis,
Heu! docet hoc Genitor) tantumque extendere palmas,
Unius incerti quantum finit ambitus ævi,
Tempore quàm nullo censeri, & sæcula Prole
Instruere augustâ, Soliumque ornare perenni
Heroum serie, qui, te mox Auspice, terras
Gotica sceptra ferant, nomenque, & gesta per omnes?
Non tamen interea, si quis te provocet hostis,
Pax tibi sit potior. Nostris hortatibus absit
Hic pudor, hoc crimen; Generi, sæclisque futuris
Consulimus: nulli sed Tu tentata, timeris
Omnibus. In fœdus recipi petit undique Regum
Ambitio. Peterent Thalamos ardentiùs; impar
Ni trepidos Virtus, Votumque immane teneret.
Tæda (nec immeritò) sed te minùs extera forsan
Tangit, & Indigenam pendes lectura maritum
Dives opum, Regnisque potens, titulisque redundans,
Qui tibi, quantus erit, Sobolem, Sceptrumque, decusque
Debeat; & Fatum cui sit Christina superbum.
Non sua contemnens, patrium si respicit Orbem
Tantus honos, & tantus amor, gaudesque refundi

In fa-

In famulos , Regina , tuos ; si pectore certo,
Si sedet hoc animo . Nectentem plura moratur
Nuncius, Emundi referens in limine Natam
Stare . Peregrinæ Regina Viraginis ergo
Utitur adventu , differtque in tempora prodi
Importuna minùs . Nutrix incerta recedit,
Lætetur , doleatve morâ . Sperare jubebat
Præbita Reginæ longis oratibus auris
Singula pensantis , spatioque habitura vigoris
Plus versata putat . Sed , quæ per lumina sæpe
Erravit nubes , Hospesque incommoda , & armis
Dedita , & exuperans animis , Tædæque perosa
Fœdera sollicitam misero retinebat in æstu.
Parte aliâ hæc inter trepidâ cum Matre Dynastes,
Quos animus pendentis Heræ , causæque peractæ
Exitus incertus torquebat , largiùs Aras
Thure vaporabant , & præcorrumpere votis
Quærebant Numen ; sed mens diversa Tonanti.
Illius instinctu Natam Birgitta propinqui
Impulit Emundi tunc assore . Versus in Arcton
Rexerat Emundus terræ non divitis oram,
Sed fœtam populis , & Martis amore calentem.
Conjugii fœnus dissecti præcoce fato
Unica contigerat matris de nomine Berga
Filia , sed matris quæ nil , nisi nomen haberet.
Illa videns vivo quamvis Genitore rebelles
Luctari Proceres , atque ipsi sæpe minari
Ductori ætatis senio languentis abusos:
Nec scelus hoc quicquam prohibere , ausûsque tenere
Effrenes , Tædæ nisi pluribus arte paternâ
Spes injecta suæ : tantumque perosa pudorem,
Cæpit in arcanâ se se exercere palestrâ,
Inque acrem transire virum , partesque per omnes

Durari, & teneros inducere robur in artus.
Postmodò jam constans animisque ingentibus æquo
Corpore respondens, nulli se passa reposci
Ulteriùs, patrem, seque est tutata per ensem;
Ultaque prætumidos, ausosque insistere cœptis
Imparibus latè famam, viresque tetendit.
Longiùs hinc odiis sensim prolapsa virorum
Devovet omne genus, nomenque perosa mariti
Perstat in incœpto, precibus nec flectitur ullis.
Illam etiam Genitor frustra est aggressus inane
Ostentans senium, vacuamque nepotibus aulam,
Expositamque Domum. Gliscit tentata superbi
Vis animi, tantùmque patrem non odit, & arcet.
Quin, si non alio sit fas evadere durum
Servitium ingenio, stat tendere prorsus in Arcton,
Tardus ubi accedit, sed non admittitur undis
Arctophylax, gelidus quamvis celebretur ab Ursis
Nereus innumeris, quotiesque remittitur aer,
Horrida deformes jungant commercia Phocæ:
Propositi certæ, sed, quæ via certior esset
Effugii incertæ, Fama opportuna virile
Attulit ingenium Christinæ, & mascula sceptra
Fœmineâ tractata manu, non ęqua minanti
Trina licet Dextræ: totoque huc pectore versa est
Cętera contemnens. Nec, quamvis ordine cunctos
Aspernata mares castis se addicere tantæ
Virginis auspiciis durumve, imparve putavit.
Hac Duce non solùm tutam, tędęque maritę
Credidit immunem: sexum sed posse minorem
Innuptis animis ulcisci, & cęlibe ferro.
Consilii felix, atque altæ Heroidis umbram
Promerita! instabili ni mox sublapsa recursu
Flexilis invisos Thalami cessisset in usus.

Scilicet

Scilicet unius Christinæ est tendere gressus,
Erectum quà cœpit iter; perque ardua semper
Surgere, & objectu augeri; metamque tenere.
Interea lucrata moras, usuraque pulchro
Tempore Parrhasiam jam cognita venit ad aulam.
Copia Reginæ cùm primùm facta petenti,
Procidit ante pedes: Sed non est passa jacentem
Gustavi proles; lætisque amplexibus ambit.
Illa, ubi collegit perculsum Virgine pectus
Sceptrigerâ, trepidumque animum, viresque recepit:
O, quamvis totum de te suspenderis Orbem,
Major, ait, famâ: si me dignata tuorum
Accipis in numero, non me, licet advocet ultro,
Seducat Phœbe, matrisve ignara Virago.
Tu præses, tu Numen eris. Nec inutile forsan
Obsequium nosces presertim bella paranti
In quoscunque viros, sed, si quos erigit usquam
Præcipuè spes ulla Tui; nam celat imago
Pronuba servitium, subjectaque vincla recondit.
Fraus olim manifesta mihi. Nec sanguine viles,
Nec dextrâ, Emundi stirps unica. Plura daturam
Occupat, & vultu mulcet Regina sereno
Obvia dicta ferens: Alterno parce pudori.
Nosceris, & Virtus tua te, nosterque vicissim
Jampridem distinguit amor. Te pectore toto
Accipio, stringoque libens. Nec Berga queretur
Prælatam maribus Christinam. Proxima nobis
Hærebis, casusque comes duceris in omnes.
Postmodò de bellis, thalamisque; admitte quietem
Interea, longumque viæ deterge laborem.
Dixit, & affusam rursus circumdedit ulnis
Arctiùs adstringens. Sed, quò sit junctior Hospes,
Hòc minor apparet; speciesque admota fatiscit.

Hesperus haud aliter, Cœli cùm divite flammâ
Fulgurat in campis: plenæ si forte propinquat,
Luna, tibi, afflictos majoribus ignibus ignes
Amittit moriens, lumenque in lumine perdit.
Quid, cùm belligeros urgens Christina labores
Stabit in adversos armis rutilantibus hostes,
Immissosque procul radios umbone corusco
Aureus excutiet Clypeus, Phœboque remittet;
Martius unde pluet devotis gentibus ardor,
Danaque Germanis præludet flamma favillis?



LIBER


LIBRI SECUNDI


ARGUMENTUM.



HRISTINÆ æſtus, & impatientia ob aſſiduam Matris, & Procerûm ſollicitationem ut Conjugio ſe addiceret; à quibus moleſtiis quò ſemel in perpetuum ſe exſolveret, ipſo Natalis ſui die, ſuſceptique Imperii Anniverſario magnis ſolemniis celebrato numquam ſe de matrimonio cogitaturam frequenti in concione profitetur, Civeſque ad antiquam bellicæ fortitudinis gloriam adhortatur, & copiarum cenſum indicit. Armamentarii, Armorumque uni Chriſtinæ fato reſervatorum, Clypeique præſertim, in quo Reges, & Colonias ex Scandinaviâ prolatos Celatura præferebat, deſcriptio. Moſchorum Legatorum, qui tunc temporis Olmiæ adfuerant Pacis inſtaurandæ prætextu, verùm illi ſtudio præcipuè impenſorum, ut Chriſtinam magni Ducis Connubio concilia-


liarent, ad Dominum relatio. Exercitus, in quo Amazonum caterva, per agmina digeritur, & ſub Ducibus oſtentatur.





LI-

LIBER SECUNDUS.



AT non curarum Regina oblita recessit;
Vota movent siquidem jam nota, ausúsque recursat
Nutricis, propiusque videt conamina Matris,
Et Procerûm subijsse preces. Hinc ira, dolorque
Acriùs ingeminant, tristisque reciprocat æstus.
Merserat Occiduo rutilos Sol gurgite currus,
Perque recedentis remeans vestigia lucis
Condebat fessas nox sub caligine terras;
Cùm domus interior solam de more recepit
Reginam varios volventem pectore fluctus,
Et secum: quò nam usque feres occulta latere
Propositi decreta tui? totiesque reposci
Conjugium pateris? nec te metiris, & annos
Pubentes, magnisque animos conatibus æquos?
Rumpe moras resides, nec te jam conde, sed omni
Eripe te vinclo, Reginamque assere Regno.
Sit pudor ulteriùs mentem jacuisse virilem:
Nesciat & nemo Christinam fœdere nunquam
Non odisse Thori. Cùm primùm crastinus orbi
Reddetur Phœbus, redimam fastidia lenti
Obsidii, atque ausus obtundam libera longos.
Dixit, & incubuit stratis, noctemque gravata
Lucem orat, reficitque brevi vix membra sopore.
Forte diem lætam belli simulacra colebant,
Festaque solemnes celebrabat plausibus Aula
Annorum inceptus, sumptique exordia Sceptri.
Regina è thalamo Procerum præeunte catervâ
Processit, Templumque subit, quo reddere jura

Moris erat populis, Sellamque insedit eburnam.
Inferiùs positi tenuere silentia patres,
Mutaque plebs omnis, nullumque per æthera murmur.
Illa, ubi pendentes lustravit lumine cœtus,
Altior assuetò, totoque augustior ore
Sic ait, & nullæ caruerunt pondere voces:
Martia progenies, frustra quos bruma pruinis
Obsidet indomitis; nam, quantùm corpora frigent,
Tantùm animi fervent: non, me quicunque potitam
Imperio gaudet, strepitu testetur inani
Lætitiam, vanoque furens petat astra tumultu:
Timpana sed pulset, lituosque, tubasque per auras
Inflet, & incussis clypeos diverberet hastis.
Hic decet Arctoas tractantem plausus habenas,
Hic decet Arctois addictos plausus habenis.
Non mea crudeli flagrant præcordia flammâ,
Sed pietas armata movet per nomen Avorum
Rursus agi, rursus terras lustrare subactas,
Et profecturos Orbem reparare per enses.
In zephyrum quicquid Regnorum, quicquid in Austrum,
Funditur, atque Eurum, nostri tenuere Parentes.
Nec jam relliquiæ tenues, spernendaque restant
Semina, sed latè se Gotica germina tendunt,
Plurimus & nostrâ populus de stirpe superbit.
Quòd modò si prisci vix jam monumenta supersunt
Nominis, Europam neu vos crevisse putetis,
Atque Asiam, & Libyam nonstris conatibus olim
Perdomitas, cladesque manu pensasse receptas.
Pigra quies nocuit, blando quæ invecta veneno
Perdidit invictas Martis certamine mentes,
Afflavitque animos, & præmia tanta removit.
Noverat hoc Genitor, Vos hoc novistis & ipsi
Illius auspicium Germana in bella secuti.

Nec

Nec mora; Victores titulis, atque urbibus aucti
Implestis vacuos prædâ superante Penates.
Hæc iteranda mihi. Nec, si cessasset in aulâ
Pacis iners cultor, Patris me exempla tenerent.
Nam, si quid Sexus in nos peccaverit error,
Stat delere manu, sumptâque ulciscier hastâ.
Vos animos præstate pares. Non extera tantùm
Sufficiat vicisse Viris. Certamen habere
Cum Proavis placeat. Mens sit transire vetustos
Gotorum titulos; nec me superasse pigebit
Gustavum. Pietas hac te nil parte moramur.
Ite reversuri cùm primùm jussa vocabit
Tessera collectos, vosque ostentate sub armis.
Scire libet, qui bella probent, quos nostra juvabit
Signa sequi, quantis transmittam classibus æquor.
Exerat interea se vis, & tela parentur.
Dixit, & incessu major conscendit in aulam.
Vestibulum plebes non ausa intrare potenti
Prona Satellitio cedit, Dominamque secundis
Prosequitur votis, tortâque revertitur undâ,
Exultatque animis, magnisque hortatibus ardet.
Traxit ab ingenti felix audacia monstro
Auspicium, & famam, populis quo prorsus abactus
Pacis amor, fessisque etiam calor additus annis.
Solaque non martis, sed ferbuit ignibus iræ
Non benè suppressos Genitrix latura Nepotes.
Arx erat Aulai in medio vestita cruentis
Bellorum exuviis, circùm longo ordine pendent
Arma tholis, latèque minax se digerit horror.
Vandalus huc spolium nam si quod victor opimum
Hostibus abstulerat, currus, thoracas, & enses,
Claustraque portarum, divulsaque rostra locari
Moris erat prisci, pubes quò lecta nepotum

Cresceret in laudes patriis incensa trophæis.
Telorum hîc quicquid, quicquid mars repperit usquam
Armorum, quo membra tegit, quoque instruit iras
Undique cernere erat: Gallorum Gesa, Getarum
Spicula, Sauromatum Contos, Falcesque Gelonum,
Pilaque Romulidum, Parmam, Cetramque, Veruque
Celtiberis detracta Viris, detracta bilingui
Sidonio, & plumbo metuendas alite Fundas.
Nec solùm quæsita manu, direptaque bello
Partibus adversis tulit huc, & condidit arma
Cura prior Regum: sed, quæ sibi quisque gerenda
Jusserat excudi, propriosque aptarat in usus.
Grandior has inter species, & justa supellex
Martia prostabat, pulchrè, partesque per omnes
Instructura Ducem, terrorque, decorque futura.
Sed non ille nitor, rutilis qui surgit ab armis
Prodibat. Dubios squalor sub nube malignâ
Condebat radios, lucemque tenebat in umbrâ.
Olim fama vetus, Scythicis quod præsidet oris
Hanc Numen gestasse fuit. Sed rumor inanis
Inde fidem traxit, quòd nullos induit artus
Explorata diu, nec cuiquam præstitit usum
Regibus è tantis ceu dedignata minores.
Irritus ipse etiam se se est expertus in illis
Gustavus, nulloque aliàs non omine lætus,
Hoc solo in bellum cessit conamine tristis.
Ergo, ubi se addixit manifesto pectore Marti
Regina, & Cives animos, dextrasque parare
Jussit, ab arcanâ Custodes arce fragorem
Sæpius auditum, mox nullo urgente reclusas
Se vertisse fores, ignemque exisse, ferebant
Lymphati, & trepidis implerunt vocibus Urbem.
Incussere metus aliis portenta, sed unam

Acriùs

Acriùs incendit Christinam rumor, & omen.
Nec mora, suspectos subiit secura penates,
Tyrrhenumque sonum, subitamque interrita flammam
Hausit, & Ostentum questa est crevisse timore.
Nam neque terribilis sonitus tunc perculit aures,
Attonitisve oculis tristis se se obtulit ignis:
Sed lætùm cecinere tubæ, fulsitque serenùm
Lampas, & armiferos hilaravit lumine muros.
Ipseque suspensum Tignus (mirabile visu)
Paulatim Martis spolium demisit, & umbras
Dispulit inductas, manifestaque præstitit arma
Virginis ante pedes, ultro ceu posceret artus
Induere, & cupidos offerret tegminis usus.
Conclamant famuli, limenque intrare verentur.
At portenta Patres proni mirantur in uno
Non una, & tacito venerantur pectore Divos.
Illa modò Galeam cristâ fruticante comantem
Mensa, modò ingentem, consertamque ære trilici
Loricam, electro leves, auroque decoras
Nunc lustrans Ocreas, Ensemque, Hastamque trabalem,
Prodigio fruitur; Numenque recurrit amicum
Pollicitis, Birgitta, tuis. Sed plurima pendet
Mole super Clypei, simulacraque viva pererrat;
Explerinequit, scriptoque moratur in Orbe.
Hujus Hyperboreâ se protendebat in orâ
Scandia jam dudum rudioribus Insula sæclis
Credita, sed latè gelido contermina mundo.
Illius è gremio fœtu superante Coloni
Plurima partito replebant agmine Regna.
Celsa Viris species, facies & candida cunctis,
Cæruleique oculi, frons alta, & pectora lata,
Flavaque cæsaries, animique ex indole magni.
Vandalus, atque Hunnus, Danus, Bastarna, Biarmis,

Sarma-

Sarmata, Nortmannus, Cimber, Teuto, Anglus, Alanus
Hinc proavos traxere ſuos, aliæque viciſſim
Innumeræ ſtirpes, quorum de nomine nomen
Plurimus Orbis habet, Victoris fata ſecutus;
Marteque traſcriptus, dominâque à gente vocatus;
Quamvis annorum repetitis curſibus ortum
Exuerint aliqui, patriiſque à moribus acti
Longiùs externæ meriti ſint ſtirpis haberi.
At, quo præcipuè pollebat Germine mater
Gotus erat quondam, Sveco nunc nomine gaudet.
Altera ab alterius ſoboles ſed laude ſuperbit,
Nec conſanguineos diſcors partitur honores.
Illius ergo ſinu nunquam ceſſante videres
Innumeros cuneos prodire, Arctoque relictâ
Quærere marte Lares, patriæ jam finibus arctis.
Qualis Caucaſeo Boreas proruptus ab antro
Obruit, immenſo quidquid prætenditur ori;
Robora proſternit, ſylvas ſi incurrit in altas:
Si pelago incumbit, puppes demergit in undis.
Non ſecùs Arctoâ mavors ſtipante procellâ
Diſſipat impulſu, quicquid fert obvia contra
Inferior virtus, & vis objecta periclo.
Nec furor in precio, dextræque cruore madentis
Quolibet ullus honos. Ingens de fortibus actis
Examen, venienſque pari victoria lance
Nobilis, & dubiis longè prælata trophæis.
Quin etiam bellare Nurus, gladioſque rotare
Ardebant, rariſque manu ceſſere maritis.
Nec ſemel adverſis majus diſcrimen in illas
Impegiſſe fuit, quàm concurriſſe Virorum
Ordinibus, mariumque mares in tela ruiſſe.
Sed nec Amazoniæ primos aliunde Catervæ
Traxerunt ortus, quamvis fœcunda parentes

Fabula

Fabula multiplicet, variàque ab origine ducat.
Ecce superfuso tellus Germana repente
Diluvio intratur; subitasque ignara locorum
Credit ab infernis acies prodisse cavernis.
Danubj objectu paulùm detenta resedit
Martia tempestas, mox latè fluctibus Istri
Transmissis vario populata est turbine terras
Illyricas, Macetûmque plagas, & Pontica Regna,
Grajugenûmque domos, & Trojæ divitis oras,
Perpetuò ulteriùs tendens, & longiùs acta,
Nec nisi post Pharias retro conversa ruinas
Terrâ iter incessens non dum dominata profundo.
Haud secùs, Æstivi tepidis cùm flatibus Austri
Æthiopûm tabuere nives, ruit auctus in Arcton
Claustra per, & rupes, nec sat vim solvit aquarum
Nilus: at angusti post tot dispendia cursus
Spargitur Ægypti per ditia culta patentis,
Multifidamque trahens hyemem propellit amaram
Dorida, & immensa dulcedine regnat in æquor.
Gallicus obruitur tractus, primisque relictis
Migrat in Externi submissus jura, novosque
Induitur mores, & prisca vocabula mutat.
Non satis à dextrâ Pirenes alta minatur,
Nec satis à lævâ se porrigit Apenninus.
Transit utrunque jugum nullo vis objce clausa,
Naturamque domat, perque ipsa pericula regnat.
Subditur Hispanus; Gens victu, atque indole dura
Cedit, & ad pulchros à Gadibus usque Britannos
Pandit iter, reseratque alium victoribus Orbem.
Inferiùs Libycos superato gurgite fines
Arripit, & Byrsâ mox Gianfericus ab alta
Solus habet, spacii quicquid tenet Africa culti.
Prospera Sors Maurum, sed lætior auget Iberum;

Lustratæ

Lustratæ citiùs Fidei nam nullus inhæret
Arrius, & Cœlum profuso sanguine Divus
Hermenegildus adit, Gentis Tutela futurus
Hesperiæ, & Fratri sceptrorum, atque Ætheris Author.
Parte aliâ Hesperiæ alterius, poscente Quirino,
Vindicat imperium, fusosque hinc martius hostes
Theodoricus agit, concessaque regna tuetur
Viribus invictis, & pulchris legibus ornat.
Discolor ille tamen, maculisque nigrantibus ora
Sæpiùs infectus, primoque à cardine discors.
Masculus huic hæres nullus, sed Gnata viriles
Una vices supplet, patri suffecta, minori
Succurrens Nato. Primo discrimen ab ævo
Sic fuit in Gotis nullum. Mas certior illic,
(Cura minor sexus) cui vis, & mascula virtus.
Hinc Regum serie fatis ditantur amicis
Italus, Afer, Iber; prodestque invecta subactis
Scandia, nec patitur Latias optare secures.
Tantum opis à nullis pèr sæcula gentibus ante
Roma, Fidesque tulit, postquam placuere piatis
Fœdera, & antiquâ se mens caligine solvit.
Hoc docet Imperium toties his viribus auctum,
Fultaque Relligio, docet hoc Urbs Romula, quamvis
Jussa subire jugum fatis urgentibus impar.
Nam, neque cùm victor portas Alaricus opertas,
Aut Totilas fregit, quisquam confugit ad Aras,
Cui non certa salus, omnique exempta periclo.
Mox, quæcunque furor, primique licentia martis
Abstulerat, Templis sunt reddita Vasa; nec unquam
Plenior intacta Cultus sub pace refulsit.
Area sic laterum victricis germina Gentis,
Gestaque prodebat, magnosque ab origine Reges
Non variâ, variâ quamvis ditione potitos

Monstra-

Monſtrabat, vivumque decus ſpirabat in ære.
Si quem cædis amor, nimiùmque agitavit Enyo
Effera, Sculpturæ caruit neglectus honore,
Rejectàque trucem penſavit imagine mentem.
Signorum in medio, creſcens quà prominet umbo,
Per circumfuſas regnabat Virgo figuras
Palladis in ſpeciem. Poterat quin Pallas haberi,
Faſcia per galeam ni curreret alba coruſcam
(Inſigne Imperii) laurumque ligaret olivæ.
Nam, velut innumeris alto de Cardine Regnis
Rectores Natura dedit, Rectoribus ipſis
Ars hìc Reginam viſa eſt præſaga dediſſe.
Illius ex oculis, & apertà fronte trahebat
Lumen, & inviſas nunquam ſenſura tenebras
Ducebat radios, omniſque ardebat Imago.
Sed, quaſi degeneris fugiens contagia mundi,
E ſtrue ſceptrorum, ſubterque jacentibus armis,
Æthera jam ſpirans, haſtâ Tellure repulsâ
Linquebat Terras, Cœlumque Virago ſubibat.
At non oblatas tantùm Regina tueri
Pertulit Exuvias, ſeque eſt experta ſub illis.
Induitur galeam, thoracemque intrat ahenum,
Conſumitque haſtam dextrâ, clypeumque ſiniſtrâ
Erigit ingentem, cupidiſque refulget in armis
Nullius auxilio; nutum namque arma ſecuta
Prævenere manus, ſeque induxere per artus.
Membraque reſpiciens penitus convenit amictus
Æreus, atque omnes habilem ſe flexit in actus.
Tunc verò attonitæ plauſus ſe ſuſtulit aulæ,
Timpanaque, & litui gelidum ſtrepuere per orbem,
Nullaque non ſubitis caluerunt pectora flammis.
Uranie ſed docta refer, quis Mulciber? unde
Intellecturo tantus conſenſus in ære?

Tempora quod Numen servavit in ultima cultus
Belligeros? Ducibus quis prætulit omnibus Unam?
Postquam dispulsis invectâ luce tenebris
Mysticus algenti Sol se patefecit in Axe,
Major ubi populis, quàm, quæ sibi vindicat Arcton,
Ingruerat, Stygiisque animos Nox hauserat umbris,
D. Ericus martyr. *Gotorum Ericus Fidei melioris ab ortu*
Præcipuus Regum Cœlo se vovit, & arma
Casibus in cunctis; placuitque impensius ipse
Cœlicolis, pulchrasque vices amor auxit utrinque.
Ille manu fortis fines proferre per ensem,
Institit, & latè laurus augere vetustas.
Sed bellare Polo, viresque intendere Divis
Solus amor. Vilis, nullumque habitura triumphum
Pugna fuit, Superos quæ non ornaret amicos.
Progressus tamen ille suos lugebat inanes,
Altaque successus turbarat cura secundos.
Quippe relapsuras discussa in nubila mentes
Viderat Indigenûm, primumque in crimen ituras.
Nam (sibi quem nexu Numen sociaverat arcto
Ante diem fati, sociumque vocarat in Astris,
Sanguine prolato postquam meruisset Olympum)
Non semel in terris etiam novisse futura
Præstitit, & casus non ignorare latentes.
Saucius hinc igitur non aucti gaudia regni
Sentire, atque ægro carpi præcordia luctu.
Ergo levaturus tam longo fida timore
Corda Pater Superûm Custodem jussit adesse
Christinæ Aligerum, cui de tot millibus uni
Præcipuum in seris olim mandaverat annis
Depositum, niveumque inter distinxerat Agmen
Divitibus radiis, & circum tempora flexis.
Atque ait: Ericum visurus labere Cœlo,

Solve

Solve metus dubios, atque anxia corda medere,
Christinamque doce magnâ de Stirpe Nepotum
Venturam auxilio. Præludet gentibus illa
Scilicet Arctois sani Dux certa receptus.
Arma feras tecum, Ducibus quæ tradimus, anceps
Cùm placet intactos belli in discrimen ab omni
Vulnere. Seponat cautus, tractandaque nulli
Exsortem expectent nostri argumenta favoris.
Virginis exteriùs sint hæc tutela, decorque
Dilectæ; internis animum firmabimus armis.
Dixerat, atque Ales Regis jam tecta subibat,
Sollicitoque ferens solantia dicta Tonantis
Spes docet esse ratas, & non mutabile fatum
Testibus exuviis, seque in sua Regna recepit.
Ille animo exultans venturos præcipit actus
Præpetibus votis, lectâque in Virgine gaudet,
Et grates submissus agit, Donumque superbum
Sat sibi deprensum mediâ suspendit in arce.
Ante tamen Generis nunquam peritura vetusti
Sculpere gesta jubet, Clypeumque implere futuris
Artificem fastis, serosque docere Nepotes.
Mirum opus, humani quod non Ars sola laboris
Audeat, æthereæ sed sit vis addita Mentis!
Tantus in exiguo se cogit, & explicat orbe
Rerum ordo, seriesque Virûm. Sua forma, colorque
Stat cuique, atque ingens pulchrè se digerit agmen.
Mox situs inductus Spolio, tantùmque relicta
Horrida majestas tactus frustrata priorum
Hactenus Heroum. Qualis cùm candida Fratri
Objcitur Phœbe, vultusque obtendit opacos:
Deficit attonito paulatim luridus axe
Mundi Oculus, latèque nigrâ subtexitur umbrâ.
Ergo sat inspectis postquam se expendit in armis

Regina , exuitur , martiſque reponit in uſus ,
Sidonioſque iterum cultus , pallamque reſumit.
Non tamen ex illò viſa eſt caruiſſe coruſcis
Exuviis . Manſit ſpecies inducta , vigorque
Martius , & nullis non belliger ardor in actis.
Grande hoc Vandalicâ Portentum contigit aulâ ,
Cùm jam Legati perfecto munere Moſchi
Ornabant reditus . Quorum qui grandior ævo ,
Charior & Domino , quamvis non ortus in oris
Riphæis , ſed Celta genus , moreſque , plagaſque
Expertus varias , cùm primùm in tecta vocati
Regis , ad intentum converſus talibus infit:
Auſpiciis , Dux magne , tuis tua juſſa ſecuti
Ivimus incolumes , quà ſe levat Olmia Cœlo
Stagnorum in medio , ſoliumque acceſſimus altum
Virginis Arctoæ , natamque potentibus armis
Contigimus dextram , Pacemque oravimus olim
Ambobus placitam populis per fœdera rurſus
Altera reſtitui , propioraque vincula necti
In commune bonum . Nec diſtulit illa rogatis
Annuere . Afferimus Pacem , penſataque magnis
Munera muneribus ; nam cui conceſſerit illa
Pectore magnanimo ? Sed , quæ ſit viſa requiris.
Augeat , an minuat rerum præſentia famam.
Longarum ſiquidem caput hoc , & cauſa viarum ,
Hùc ſumus impenſi , Pax huic prætenta labori.
Singula ſollicitè perveſtigavimus acri
Intuitu , atque actus excuſſa eſt vita per omnes.
Teſtamur Superos (quamvis patiantur iniquè
Æquari in terris) non ſat deprendimus ullum
Indicium generis , nec adhuc dubitare negamus.
Mens tamen inclinat ſtirpem tranſcribere Cœlo.
Nam neque Terrigenûm fluxâ de gente creatis

Arma

Arma parant Superi, divinaque Tela recondunt.
At mortalis erit, sed, quam majoribus addat
Numinibus Virtus; nam plus est Astra mereri,
Quàm debere suis, & in haustum Nectaris edi.
Tantus honos, tantumque decus, tam multa coruscat
Undique majestas, mortalesque obruit artus.
Neve per ambages formosi corporis errem;
(Nam quid forma decens, quamvis lectissima, quamvis
Incensura Deos, pulchrâ collata videri
Mente potest? quid Stella minor cùm grandibus Astris?)
Tu tibi, vel qualem felix audacia Vatum
Pallada, vel qualem prisci pinxere Colores,
Christinam fingas. Species est una duabus.
Ast oculos ne crede pares; plus fulget in istis
Luminis, & longè pariter plus fulminis ardet,
Causa movet cùm justa minas, atque exigit iram.
Regales cultus, tralataque sceptra referre
Mittimus; audisti: nec Virgo innititur illis,
Illa sed excelsâ lucrantur ab indole nomen.
Unius usque adeò flagrat Virtutis amore,
Usque adeò insistit meritis, partesque per omnes
Se pugnat debere sibi, sit ut ipse minoris
Virginitatis honos; nec sat ferat inde probari,
Quòd non adstruxit, sed sit tutata pudorem.
Nec tantum magno debet Christina parenti;
Imponit magno quantum Christina parenti,
Usuram lucis majori luce reponit
Scilicet, & vitam vitâ meliore rependit.
Si licet effari: Generi Natura virili
Heu quantum molitur onus! quantumque superbis
Imminet, & Regum Virtus cervicibus instat!
Nam Virgo Heroum fiet censura, pudorque
Parrhasis, atque ingens trepidos confundet imago.

Ther-

Thermodontiacas quòd si frænare catervas
Vellet, & in pugnas lunatis agmina peltis
Ducere, fœmineis vastata securibus omnis
Deficeret tellus, gentesque teneret Amazon.
Quid Cimbros dominata truces? quid martia corda
Gotorum, quibus arma quies, & vulnera ludus?
Atque utinam vires in mundi regna tepentis
Dirigere intendat, nec se convertat in Arcton.
Nam juga nulla satis, nullo nec sole solutæ
Obstabunt hyemes, nec sat se proferet Obby.
Ad tua sed propiùs redeo mandata. Loquendi
Libertas si plena datur (licèt omnibus Unum
Regibus imponat Te sors) non utile votum,
Lætandumve moves. Sanâ quis mente jugari
Impare cum sociâ poscat, pondusque subire
Viribus haud æquis, partesque tenere secundas
Desertor sexus? Non est mortale, quod optas,
Connubium. Nulli capiunt hæc fœdera Reges.
Nec, si funereâ Genitor prorumpat ab urnâ
Post sibi tot partos invicto marte triumphos,
Hanc ausit dixisse suam. De stirpe Deorum
Quòd si progenita est, & terris advena regnat,
Ut reor, & monstrat; non hanc sibi poscere Tæda:
Audeat inferior, vetitosque coerceat ignes.
Sit satis in cassum non demulsisse potentis
Imperii vires, sancitaque pacta tulisse.
Annuit oranti pacem, fœdusque perenne
Indulsit, dextramque dedit. Commercia jungi
Si placet ulteriùs, votis, & thure colatur,
Ne concessa neget, dum non poscenda rogamus.
Hactenus Orator; tantæque Heroidis ingens
Defixit Moschum species, tumidumque momordit
Irrita spes thalami. Doluit non æquus haberi,

Tem-

Temporaque opperiens non importuna nocendi
Vulnus alit, cæcamque coquit mens læsa repulsam.
At cœptis Regina suis intenta propinqui
Urget opus belli, nullâque in parte moratur.
Dicta dies aderat censendis Martis in arvo
Agminibus; textoque sedens sub Tegminis auro
Erigitur Regina procul, viresque Trionum
Alta recognoscit. Vexilla, atque arma supinat
Præteriens acies, Dominamque inclinis adorat.
Musa memor rerum, quam nulla oblivia fallunt,
Nominaque æternum cui fas efferre per ævum,
Pande Viros, primùmque Duces, qui signa secuti
Cardinis Arctoi campos implère patentes
Agmine discreto, seque ostendère sub armis.
Æquor init primus, totusque incenditur ære
Coralates, fraterque Fiden, cui crista comantem
Umbrabat galeam, caudâque implebat equinâ.
Instruit hos Tellus latè vicina Sararchis
Saltibus, atque albo in lævam contermina ponto.
Subsequitur Rodalus, proavosque umbone vetustos
Obstentat Colchos, Phryxæaque vellera monstrat
Stemmatis indicium, patrioque coruscat in auro.
Huic aciem Magrina dedit, quam perluit amnis
Sofna, nec hoc infra censu prædivite Konsa
Undarum. Subit inde Bices, atque explicat alas,
Ingria quas misit, nimboque incedit ovanti.
Mox Pætina phalanx, & longis Esthones hastis
Terribiles, quorum ductor serpente trilingui
Ambenus horrificat Clypeum, vimque efferat angue.
Phinnia succendit mox pubes sparsa cruore
Nunc quoque Germano, spoliisque induta superbis
Teutonidûm. Pars bella pedes, pars alite cornu
Arripit, & ferro pugnas alternat, & igne.

Diri-

Dirigit Evernus pedites, sed dirigit Aucus
Cornipedum turmas. Ætas confundit utrunque,
Dextraque, sed vario Mavors discriminat usu.
Ardua mox infert se gens Filandia nullis
Inferior numero, nullis virtute secunda:
Docta gradu stabili bellum miscere, vicissim
Docta manu frænum moderari, atque impete verso
Scandere cornipedes, volucresque agitare catervas.
Hos inducit Hylax, nimiùm tibi Lipsia nuper,
Cognitus, & Tillj prostrato milite notus,
Cladeque majori mox cognoscendus ad Albin.
Post subit in varium findens se Gotia nomen:
Gotia regnorum pariter victrixque, parensque
Fœta viris, animisque potens, semperque trophæis
Fertilis, atque Orbi populos largita subacto.
Nunc quoque terrarum tractus, ventosque secuta
Scinditur, inque agmen tendit partita quaternum.
Ductorem pars quæque suum dignoscit, & audit
Illius à minimo discedere nescia nutu;
Tanta licet virtus, tanta experientia martis
Cuilibet insideat, Dux ut sibi quisque videri
Possit, & emeritos tantùm discriminet ætas,
Alternique regant, vicibusque in bella sequantur.
Dallia sed longè Legio supereminet omnes
Indigenas. Ludit spiris majoribus ingens
Vexillum, meritumque docet; nam cæpit Adulphæ
Hanc inter Gentis series. Favor inde, manusque
Largior, & serâ pensati in stirpe parentes.
Temperat expositos Boreæ Tibysenus, at Euro
Campesus, Ædonus Zephyro, sed Jazygus Austro.
Erminus huc ibat nomen mentitus, & ortus,
Erminus insignis specie, quem pulchra Thoanti
Edidit Euridice consors regnique, thorique

Postre-

Postremum sobolis, sed formâ atque indole primum.
Ille imberbis adhuc fato maturus amico
Liquerat extremæ terrarum littora Thules
Martis amore calens, atque igne Cupidinis ardens.
Nempe Calydonias Bergæ perduxit in oras
Fama decus non una duplex, orisque, manusque
(Sors minor imperii visa est, ducturaque secum
Tæda Patris sceptrum, qui jam proclive senectæ
Carpebat defectus iter) Juvenisque medullas
Hausit, & haud visæ succendit imagine formæ.
Illum jampridem Christinæ nomen, & Ostrum
Afflarat; tantum sed mens non ausa Cacumen
Despondere sibi, partes optare secundas
Instituit, & longè similem sperare maritam.
Inde moræ impatiens clam se subduxit, & ortus
Stemmata mentitus propiùs contendit in Arcton.
Ergo aderat, facilemque Viris transcriptus in aulam
Fortibus, occultum frustra lactabat amorem
Haud Bergæ ingratus; parili nam lampade Virgo
Arsit, & invito dudum luctata furori
Succubuit; domitamque odii, votique peracti
Pœnituit; sed fama prior prohibebat amantem
Promere vota palàm, conversaque corda fateri.
Hinc spes nulla thori, donec fortuna, Deusque
Fœdera diverso penitus peperere sub axe
Naufragio, & thalamis intercessere negatis.
Tum, quos alterius tangit Norvegia juris
Lappones, & tetrico non dissita Botnia ponto,
Procedunt; nutrit quos Angermania dives
Proventu pecudum, quos Medelpadia glebæ
Ubere divitior, circo induxere cohortes
Ensibus instructi curvis, & fulmine multo
Horridi, & hirsutis incincti pellibus artus.

Omnibus his Morimus præponitur advena terris
Parrhasiis, meritusque manu, non sanguine civis
Dicier, & tantæ trascribi in nomina Gentis.
Ultimus extremum Dux Tortensonius agmen
Intendit campo, cui se Prætoria jungunt
Robora, & Arctoæ Custodia pervigil Aulæ.
Addunt se comites, quos Sudermania pascit,
Noriciæque manus, & quos Velandia pinguis
Educat, & triplicis jam sedes Olmia Regni.

Quem Christina sibi elegit in Successorem.

Carolus hos inter privatâ in sorte merebat
Tantùm miles adhuc, tantùm stipator, & omnis
Expers Imperii; sed quem celsissima Virtus
Sortis in ostentum summæ servabat, ut Orbi
Monstraret, quantum Mens alta, & prodiga metas
Tenderet humanas ultra, quantumque Potentes,
Quod nunquam discent, tandem Christina doceret.
Ille quidem clarus, celso quòd contigit ortus
Sanguine censeri, Palatinumque vocari
Germen, & Augustos inter numerare Robertum
Stirpis Avum magnæ; sed longè clarior idem,
Quòd meruit Regina Tibi servire, tuique
Numinis impendi jussis, genioque litare.
Nam plus, quàm Regale decus mox contigit illi
Christinæ sedisse loco. Quisquam ne Deorum
Pensasset nullos tantâ mercede labores?
At non, in Solio cùm te Fortuna levarit,
Conscendisse putes, quo nil optare supersit
Ulteriùs. Longè te sors frustrata minorem
Monstrabit, majorque sitis torquebit anhelum.
Scilicet audaci Dominæ Connubia voto
Irritus ardebis, mundi quæ lætus habenis,
Prodiga si toti te Fors imponeret Orbi,
Mercari cupies, animâque, & luce pacisci.

Non

Non satis est potuisse legi, Boreæque sedere
In Solio. Inferiùs Regum Sors distat ab Illâ.
Pone tamen questus, & te metire, nefasque
Ejura, justamque thori solare repulsam.
Nam, quod tu posces Fortunæ munere tantùm
Privato exemptus fato, proavita minatur
Quisquis sceptra manu, tædâ flagrabit eâdem;
Improba sed major reverentia vota retundet.
Non capit ambitio spes has. Cui transferat Ostrum
Christina, atque hilaris Solium transmittat habendum,
Ullus erit: Thalami cui donet fœdera, nullus.
Ordine jamque Virùm circo digesta patenti
Exierat series, atque area nuda vacabat.
Ecce autem insolitis campum florere repente
Armorum radiis, pulchroque horrore propinquos
Perfundi latè colles, incussaque Solis
Tela repercussis resilire in sidera flammis.
In niveis apparet equis, ignota Minervæ,
Imbelles exosa colus levis Ala catervæ
Virgineæ, succincta sinus, dextramque soluta,
Acrior in pugnam quò tenderet, igne papillam.
Cuique faretratum latus est, cuique aurea clausam
Tutatur frontem cassis, Gortynius arcus
Cuique sonat tergo, gemmisque insignis, & auro
Pectora zona ligat; graviora sed arma bipennem
Stringit dextra minax, & peltam læva coruscat.
Tenditur extemplo vulgus, trepidoque tumultu
Longiùs arrectæ spatium dant undique turmæ
Spectatum effusæ, nullâque silentia voce
Occursu primo rumpunt; mox plausibus omnis
Turba fremit, mugitque nemus, vallesque resultant
Percussæ, & nimio crispatur murmure pontus.
Agmina quinetiam jam prætergressa facessunt

Ocyus, & circum ſtipant dimota vacantem,
Intentantque oculos; nulli ſed pectora mordet
Invidia. Acclamant ultro, vincique fatentur,
Et gaudent, aliiſque movent ſuſpiria votis.
Sic, ubi ſylvicolas cogit Dictynna catervas
Jam reſides, nimio ſolvi cùm Tænarus orat
Belluarum inſeſſu: ſuras incluſa cothurnis
Lecta cohors properat, corytoſque implet, & ægros
Exſuſcitat nervos. Omnis tunc ſylva comantes
Expandit ramos: ripæ Ladonis, & undæ
Cœtibus exultant pulchris, tectique per umbras
Rimantur Satyri, ſperataque gaudia mulcent.

Non una Harpalyce, non una hoc auxerat agmen
Antiope, & nullo Teucrorum in pulvere Troiæ
Pentheſilea minor. Dulcis rigor aſperat ora,
Candida, & implacidi grata eſt miſtura decoris.
Tempora tranſacti ſic poſt æſtiva caloris
Prima reverſuræ delectant frigora brumæ,
Incenſoſque artus alternus temperat horror
Lenis adhuc, mediique juvant confinia ſolis.

Has modò Berga regit, præſtatque; atque implet honorum
Alta miniſterium; comiteſque tuetur, & ornat
Ars, dextra, ingenium, proavûmque ſuperba propago.
Illa quìdem tanto par eſt, atque æqua labori
Prorſus, & in medio ſupereminet agmine cunctas.
Sed non aſſuetam præfert fidentior ore
Lætitiam; atque alacri tollit ſe frontis honore
(Indolis excelſæ ſpecimen) campumque laceſſit,
Vixque armis capitur, bellatoremque fatigat
Ardua cornipedem, diſtantemque ardet in hoſtem.
Pallor obit vultus, & iniquo pondere preſſa
Men s frontem inclinat, viſuſque nitore remiſſo
Ince rtùm vibrant; actu nec conſtat in ullo;

Ut

Ut pronum dixisse foret cuicunque sagittas
Experto Paphias correptam numine tanto
Interiùs carpi , magnisque ægrescere curis.
Usque adeò præceps amor est , mutataque corda
Abripit , atque aliò , quàm quò se intenderat , aufert
Propositi nimiam , flatusque irridet inanes.
Restitit illa quidem , pugnâ nec cessit inerti ,
Congressuque impar animos , parmamque reliquit.
Nam , simul insolito percelli corda tumultu
Sensit , & interni pacem turbare sereni ,
Sollicitam properavit opem , collumque retorsit ,
Rejecitque jugum . Sed jam pervaserat hostis
Deprensi penetrale sinus , & cuspis adacta
Intrarat fibras , & venas hauserat ignis ,
Erminus inque alto regnabat pectore victor.
Quod potuit , flammas statuit celare repostas ,
Pollicitique memor , quo se jactaverat ante
Christinæ , pugnare malo ; pestemque tenere
Corda voraturam , nec vertere terga pudori.
Noxior inde lues , penitusque ingressa medullas ,
Et certa incerti cuique argumenta laboris.
Hæc aderat collecta manus . Sed plura supersunt
Agmina , quæ nondum , longè submota , coire
Permisit contracta dies , mox affore certa
Ocyus imperio , dextrasque , animosque datura.
Rapta nec Austriaco servabant oppida juri
Relliquiæ tenues , cognataque membra manebant
Interea vinci indociles , partoque repelli.
Non tamen inceptis satis hoc ; vis quando , favorque
Auxerat Augustum non unâ in parte , perempto
Gustavo , & sociis aliò tendentibus . Ergo
Regina expendens hinc illinc robora vires
Viribus impleri mandat , laudataque signa

Dimit-

Dimittit, certosque jubet sperare triumphos.
Plausibus in mediis Solium mox linquit, & alto
Inter adorantes conscendit in atria curru.



LIBRI TERTII

ARGUMENTUM.




Um Armorum apparatus expediuntur, Regina venatu ſe exercet. Semel autem in Cervo perſequendo concitatam nox in ſylvis, & tempeſtas oppreſſit. Tenebris circumfuſam, & viarum ignaram Anachoretæ antrum, animarum ſalutem ſub mercatoris perſonà nuper Olmiæ negotiantis, Reginæque haud ignoti, opportunè recepit. Apud hunc indeprenſum indeprenſa noctem tranſigit, pluraque audit ſibi ipſi profutura, præcipuè vanam eſſe Regum fiduciam univerſalis Monarchiæ potiundæ, cujus Aſſerti fidem fuſiùs doceri contendens Myſtam ad Quatuor ſummorum Imperiorum Synopſin efferendam perducit. Monarchiarum ſerie recenſitâ (à quibus Hierarchica, utpote altioris Ordinis ſe excipit) eò proceſſit Anachoreta, ut Quintam innueret, ſed illis non annumerandam

dam ob ſcelerum immanitatem, & brevitatem periodi, atque ideò ſilentio tranſmittendam: Verùm Regina id impenſiùs exigente eamdem perſequitur, Cataſtrophenque, & Peripetiam Antichriſti, ſupremamque Humani Generis Criſſim evolvit eo ingenio, ut audita Reginam propiùs contingerent.



LIBER TERTIUS.



INterea dum creſcit opus, Martiſque paratus
Accelerant, urgentque Duces, ſpelæa ferarum
Reginam vaſtare juvat, ſaltuſque timendos
Excutere, & , magni veluti præludia belli,
Exercere manus, & prætentare lacertos.
Qualiter ancipitis palmæ ſuccenſus bonore
Auriga, & longà deſudaturus arenà,
Certatum dum findit iter; non protinus urget
Quadrijuges, metamque rudi petit axe remotam:
Sed priùs explorat, pulchrè num temo jugales
Componat: num fræna manu tractata valenti
Sufficiant; parvoque rotas in pulvere verſat.
Mox avidos effundit equos, atque impete certo
Clauſtra fugit, campoque volat ſecurus aperto.
Nec damas, capreaſve leves inceſſere tantùm
Inſtat; ab horrendis turbare cubilibus Urſos
Ardet, & infenſis armatos cornibus Uros.
Nam minor, & teneros non dum ſat firma per annos
Illa etiam arcanos auſum penetrare receſſus
Aulai Taurum, rabieque ardente ferocem,
Dum trepidant famuli, perque atria curſibus errant
Attonitis, ignara metus, atque obvia monſtro,
Ignea flammivomo contorquens tela lacerto
Proſtravit; raptumque caput nunc pendet ab altis
Poſtibus, & fractis præluſit cornibus Iſtro.
Tigris in ingenium, quid, cùm revoluta cruentum
Irruit in cuneos, primoque Altoris in artus
Graſſata eſt morſu? ſed, vix ſcelus orſa, furoris

 Exſol-

Exsolvit pœnas Dominæ mulctata sagittis.
Ergo feras quoties placuit turbare latentes,
Nusquam lenta subit partes dignata secundas.
Post tergum subsessor agit, comitumque caterva
Deficit, atque animis Dominam vestigat anhelis.
Illa acrem sublimis equum per lustra fatigat:
Aut pedes audaci vibrat venabula dextrâ
Rete comas, nodoque sinus collecta fluentes.
Qualis Amazonias Ponti per littora turmas
Penthesilea rapit, vel qualis cincta molossis
Fulta latus jaculis, surasque evincta cothurno
Gargaphies per tesqua volat, Nymphasque sequentes
Deserit, & trepidas pacat Dictynna, latebras.
Unâ forte die, nimio provecta volucris
Impete cornipedis, cursu prævertere cervum
Dum studet alipedem, notâ regione viarum
Excidit, atque altis penitùs se condidit umbris.
Nox erat illunis, prætentaque sidera nubes
Abstulerant, Cœlumque duplex obsederat horror.
It secura tamen, sed circumfusa tenebris
Sæpiùs incursat, nec jam satis imperat iræ,
Quòd nimiùm prædæ, nimiùmque indulsit habenis.
Ancipitem lux visa procul direxit; amicam
Ergo facem sequitur, quamvis fulgore maligno
Ducat, & incertum periturus palpitet ignis.
Jam medias emensa vias accesserat antro,
Quò nitor exibat. Videt hîc adversa sereni
Ora Senis placido figentis lumine Cœlum,
Verbaque cum Superis tacito sermone serentis.
Substitit ad Mystæ vultum Regina verendi;
Et, licet Heroas specie suspenderet ipsa,
Nescio quid magnum rugis deprendit in illis,
Quod neque Christinæ sit suspexisse pudori.

Illum

Illum ſidereas ſpatiantem mente per oras
Proximus excivit ſtrepitus. Conſurgit, & ægram
Exhilarat, tenditque facem ſecurus, & alti
Hoſpitis adventu permotus, limine prodit,
Cornipedemque tenet, veniamque Penatibus orat
Pauperibus, ſcabroque rogat ſuccedere tecto,
Et pronæ in pluviam ſe non permittere nocti.
Ingreditur Regina lares, atque occupat antrum,
Pumiceâque domo capitur, quam ſola perornat
Mundities caſti mores imitata Coloni.
Jamque anceps gratatur iter, nec tramite recto
Non erraſſe velit, curſuque hæſiſſe remiſſo.
Utque toro ſedit, gramen quod ſtruxit agreſte:
Gratum eſt, & prodeſt, inquit, defendere tecto
Creſcentes tenebras, intempeſtique Tonantis
Effugium debere tibi. Stupet Hoſpitis ille
Sydereos oculos, Majeſtatemque latentem
Sentit, & ignorat. Cultus, tempuſque, locuſque
Et ſpecies inducta mari venatibus apta,
Chriſtinam prohibent deprendi. Vilibus eſcis
Inde famem ſedare parat. Dimittere curam
Hanc Regina jubet: potiùs refer, inquit (& umbras
Dulcibus alloquiis non ſit tranſire moleſtum)
Quid te, blande Senex, hominum commercia juſſit
Linquere, & in ſolis ævum conſumere luſtris,
Immiteſque feras, auſuſque horrere rapaces,
Quos locus invitat, tutelaque nulla coercet.
Sylvicola obſequitur, juſſoque ſedile recumbit,
Inde ſubit: non iſta meæ fortuna latebræ,
Ut timeat raptus ſperantis præmia dextræ.
Me mea paupertas, nullique optanda tuetur
Eſuries avido. Dedit hæc mihi ducere vitam
Cardine ſublato (quamvis opulentia tantæ

Reginæ auspiciis nusquam non tuta, nec ullus
Sit locus insidiis. At nec nocuêre ferarum
Agmina, seu nostro nunquam tentata vicissim
Insultu: seu cura Poli sua signa secutos,
Confisosque sibi, prætento Numine præstat
Incolumes, nullisque sinit patuisse periclis.
Substitit hìc paulùm dubius num tenderet orsis
Ulteriùs: tutumque foret recludere pectus
Hospitis ignoti tantæ in caligine Gentis
Auribus; interiùs sed Cœlo urgente profari,
Obsequitur stimulis, iterumque resumit, & infit:
Si, me quid turbis hominum procul abstulit olim,
Scire cupis, quamvis quæri tu dignior, edam.
Forsitan in nostris aliquid non prorsus ineptum
Casibus invenies, & te mea fata juvabunt.
Non me segnities, studiumque ignobilis otj
Urbibus exemit, vitæque addixit inerti.
Et me cæcus amor, fucoque instructa decoro
Ambitio allexit, dudumque in devia traxit.
Nam neque me generis, censusve eduxit egenum
Natura: &, spolii si fas meminisse relicti,
Splendida progenies, & Regum proxima cunis
Edidit, & largo perfudit prodiga cornu.
Miscuimus mox bella manu, placuitque cruoris
Humani titulos nostris adjungere fastis,
Sponteque venturas in nos arcessere Parcas.
Et, nisi vesanæ furias miserata juventæ
Cura Deûm in præceps sese objecisset eunti,
Plorarem fletu deliria serus inani.
Reddita lux tandem; summoque à littore vidi
Naufragium, & timui, quod me timuisse pudebat
Ante: nec offusis indulsi longiùs umbris,
Meque mihi asserui: nec jam temeraria Virtus

Abstu-

Abstulit illectam laudum dulcedine mentem.
Ut me collegi; mensuraque sola laboris
Discrimen, pretiumque fuit: mansura mereri
Cæpimus, & minimùm pereunti fidere vitæ.
Nec minor in parvo spes adfuit. Altiùs ire
Institimus, prædæque capi melioris amore.
Nec tantum comites, luxusque, & fulgida vestis,
Quantum ausûs, animique dedit pannosus amictus,
Nudatumque latus, pallensque, & vilis egestas.
Pertulit & nostras Christinæ nomen ad aures
Fama; sed immensum quem præterit illa per Orbem?
Scilicet haud adeò Genitor, cum Victor ovaret,
Attonitas habuit rerum longo ordine gentes
Gestarum; Reges ut mox suffecta Virago
Deffixit, mentesque hausit virtutis imago
Ardua, conatus jam prætergressa viriles.
At strue tam pulchrâ, tantoque superba paratu
Quò se Virgo feret, si non consentit Olympo,
Altaque cum Superis si non communicat acta,
Authoremque Polum, Divosque meretur amicos?
Quantus erit, spolium quicunque hoc tollet opimum
Cœlitibus! Quos hæc non vincet palma triumphos?
Hæc mecum: certusque mori, Quercumvè mereri
Tam pulchram, totis intendi viribus ausum
Incitus: & magno spes est accensa periclo.
Dissimulor cultu, momentaque nactus amica
Reginam aggredior, monitusque inculco salubres:
Errantesque gradus hortor revocare, viamque
Carpere non dubiam, Divosque. audire vocantes
Vocibus assiduis Regni melioris ad Ostrum.
Si, quæ suscepti fuerit fortuna laboris,
Exquiris: duro Virgo non abnuit ore.
Sed neque permisit mihi se, paulùmque morata

Sic

Sic mea ſedato reſecuta eſt pectore dicta:
Num tuus in meritas auſus nos egerit iras,
Scire potes, quòd, cùm legum ſancita poteſtas
Addicat gladio, quiſquis ſeducere vile
Tentarit vulgus, nedum Regale cacumen;
Te exſortem, tutumque volo. Furare periclo
Ergo caput: lentus noſtrum ne ſperne favorem.
Ipſa iter inſiſtam, quâ me pro Numine Virtus
Dirigit. Auſpiciis quis nos his auferet error?
Tu tamen interea non intermitte: Sed olim
Cura decet tam juſta Deos. His nubila corda
Tradimus; Hos dubias par eſt purgare tenebras.
Hîc propiùs commota Senem Regina tuetur:
Palliaque obnubant quamvis diverſa loquentem:
Ora recognoſcit: tantoque impenſiùs audit.
Ergo Myſta ſubit, ſumpturus tempus in aptum
Spes interdictas, ſpatiumque daturus, opertas
Semina radices peragant dum jacta, receſſi,
Nec procul eſſe tuli; Sylvis ſed tectus opacis
Hoſpitor hoc antro, dilataque vota retracto
Pectore nil dubio. Nam cur Heroida tantis
Parrhaſiam cumulent opibus, ſimilemque laborent
Cœlicolæ, ſi tot mox irrita dona perirent?
Non tamen inditiis hæc ſtat fiducia ſolis
Verſuri in melius curſus, nam Numen amicum
Birgitæ à Cœlo ad Reginam Legatio. *Pulchriùs explicuit ſeſe, manifeſtaque ſigna*
Miſit, & aſſeruit per pignora certa ſalutem,
Proſpexitque ſibi; Supero namque Iris ab axe
Certior, & potior, venturi fœderis Illi
Nuncius, & prædes. Nec me ſpectacula Cœlum
Hæc neſcire tulit. Spatio diſtantia longo
Iſta tamen, mediique procul patet area campi.
Scilicet impulſum dominabitur ante per Orbem,

Exuviaſ-

Exuviasque feret Regum, prolataque tendet
Imperia, & Curru victrix spatiabitur alto,
Murice palmato spectanda, & divite Lauro.
Sed quàm parcus honos! quàm non æquanda labori
Præmia magnanimo! pensataque gesta malignè!
Nam vetat ulteriùs certi mens Numinis ullos
Orbis ad Imperium votis audacibus ire.
Ergo parem meritis mercedem Fata negabunt.
Destituetque avidam cursus. Pulcherrimus ardor
Pectoris, atque operum magnorum plurimus ordo
Indotatus erit. Quis te, Regina resumpsit,
Non æquas Superûm docuit deprendere lances,
Jusque Poli inversum, confusaque metra Tonantis?
Non hanc, ille refert, audaci mente mereri
Tendimus invidiam. Nimiùm caligo coercet
Alta laborantem, visusque objecta retundit;
Quamvis immeritis etiam se proferat ultrò
Illa dies animis, nec dedignetur adiri.
Sæpiùs ast acies illuc admittit amicas,
Prolatosque sinus, aditusque indulget apertos.
Hinc Vatum serie Sexus decoratur uterquè,
Exitus incertas quos non errasse per umbras
Monstravit; sternuntque fidem transacta futuris.
His liquet Indicibus modicùm tibi claustra patere,
Ambitio, & frustra jam vim sperare peractam.
Scilicet haud uno tantum sub Rege coibit
Terrarum, quantum Proavi coijsse priores
Vidère; angustâ se nunc spes versat arenâ.
Par igitur meritis si par sperare negatur
Sceptrigeris culmen, tot se objectare periclis
Quis velit ulteriùs voto frustratus inanì?
Dedecet ingentes animos non æqua labori
Præmia sectari: pretio decrescit adempto

Gloria

Gloria conatus . Hoc si tanto Orbe potitum
Torsit Alexandrum ; numquid Regina Trionum,
Cui, quidquid Superos primis hucusque dedisse
Regibus audimus, forsan sit vile, locari
Inferiùs, pendique ferat neglecta minoris?
Haud equidem . Sint ista palàm ; nec donet Olympo
Spes avidas parvo terræ contenta teneri
Limite, contemptu bellum, sceptrumque relinquet .
Annuit, ac Druydæ Virgo subrisit, & inquit:
Æqua putas ; sed plura juvat novisse, gravaris
Fusiùs optantem ni me per singula tractim
Ducere ; vix summâ quando hæc libavimus aure,
Ignotumque manet tantum per fata vetari
Regibus . Occiduas nondum nox vergit in undas.
Si piget implacidæ deprensum tædia noctis
Ferre, Senex inquit, parvumque, & inane cubile
Affatu nescire petis : ne despice mensæ
Pauperis oblatus . Nostra irritata placebunt
Pleniùs esurie cumulatæ fercula mensæ.
Hac vice promeriti gratis parebimus orsis,
Seù transacta velis, seù successura revolvi,
Gnara olim quamvis, nostræ nec vocis egenti.
Admisit tunc Virgo cibos, vultuque sereno
Jura nec hospitii, tenues nec respuit escas.
Lætior ergo senex facili dignatus honore
Incipit . Adversi sedet hæc, & pendet ab ore.
Naufraga cùm tandem revocato ad littora Ponto
Terra coli cœpta est : dudum novus Incola Mundi
Continuit sese, crimenque, nefasque refugit;
Namque memor cladis, quoties se nubibus Æther
Induerat, raucusque fragor per inane tonabat:
In fluctus trepidabat agi, volucrique tumultu
Plana relinquebat, montesque micabat in altos.

Paulatim longos posuit Gens aucta timores.
Mox minùs, atque minùs veteris meminisse pericli,
In pejusque rapi, rursusque merere piari,
Sæviùs inque diem turbare, & viribus uti.
Sorduit insanis ut Pax cultoribus Orbis,
Humanusque cruor funestas polluit iras;
Omnis in armato posuit se robore Virtus,
Non sincera tamen; nam, sæpe valentior, idem
Deterior, graviorque fuit. Vis ergo, timorque
Infirmos docuit cultu, donisque subire,
Obsequio, & precibus, tumefactaque corda Potentis
Plaudere suppliciter; ne, quà non debuit, ire
Arbitrio vellet: sed sponte ad jussa paratos
Exciperet, turbæ Dux, & Tutela minori.
Hinc se composuit, sensimque ad fræna redactus
Impetus effusos, nimiosque coercuit ausus,
Auxilioque fuit miseris, partesque labantes
Extulit, innocuis vindex, & sontibus ultor.
Quin, si contiguus patrios incesseret hostis
Agmine directo fines: prior ipse periclo
Objectare caput, primisque occurrere telis
Ardebat, pulchrumque mori pro laude placebat.
Terminus armorum Cives, Patriamque tueri,
Irarumque fuit. De quâlibet arbore victor
Cingebat crines; Regnis nec dives ademptis
Hostibus, at salvo remeabat limite, lætus.
Primus in Assyriis sese Ninus extulit oris;
Exemploque nocens, plusquam furialibus armis,
Latiùs armatæ contagia dira per Ortus
Ambitionis agens, vicinas obruit Urbes.
Non tamen hic adeò bellis damnandus iniquis,
Debita Cœlicolis quàm quòd dare thura profanus
Sustinuit Belo, votisque vocare parentem.

Ergò alias, aliasque hausit longo ordine terras;
Plenior inque dies, spoliisque hostilibus auctus
Usque sub Ethiopas, Nabathæaque Regna tetendit
Perpetuo crescente malo, Mundique vocari
Obtinuit Domitor, Princepsque, atque una Potestas;
Plurima restarent quamvis intacta, nec illo
Segnior extulerit pharetrata Semiramis ausus.
Sed prior, & sexu melior, sibi nomina Conjux
Asseruit, retinetque decus, seriemque Nepotum
Duxit in Imperium magnum: volventibus annis
In præceps donec meruit mollissimus Hæres
Sardanapalus agi. Tantorum dedecus Iste
Sceptrorum, generisque lues, & terminus idem.
Excipit Assyriæ Cyrus fragmenta ruinæ.
Nec sat; Achemenios, Medosque coegit in unum,
Longiùs & vires, nomenque extendit in Orbem.
Altiùs hunc Regni anxietas, præsagaque Vitis
Tensa nimis ramos, nimiùmque effusa corymbos
Divite luxuriâ, per sæva pericula, niti
Dum vetat, evexit. Pietas non defuit illi.
Namque expostus Avo tutricem repperit acrem,
Nutricemque Canem. Mox à Pastore repertus,
Custodesque inter pecoris digestus, & altus
Præcepit sceptrum, Regemque exercuit ante,
Vilis, & incultus, quàm destitit esse bubulcus.
Ille omnes tenuit citra Indi flumina terras,
Pinguiaque Ægypti, Libyesque exusta subegit,
Joniasque etiam sceptrum porrexit in undas
Victor, & Europam vicinâ terruit umbrâ.
Nobilis Imperio; sed, quòd miseratus Idumen,
Solverit exilium, Templumque, & Liba reponi
Jusserit, & largo sumptus suggesserit auro,
Nobilior, meritisque etiam laudatus in Astris.

Longa

Longa per assertum durarunt stemmata Regnum;
In quibus Ille fuit, montes qui vallibus æquos
Reddidit, & famulâ Neptunum compede vinxit,
Effugiique reum tentati stygmate plexit,
Et non hæsurâ tergum vibice perussit.
Sed satis in Medis. Aliò Fortuna favorem
Intendit mutata suum. Jamque ordine verso
Persica Pellæis concedit Laurea sertis.
Græcia cùm fractis animis post damna jaceret
Plurima, communes non tam communibus armis
Ultura insultus Persas juravit in hostes,
Quàm Macetûm compulsa metu victoribus impar,
Nec satis arbitrio fidens. Sed Martis in ipso
Obvia procinctu Ductorem Parca peremit;
Resque Asiæ incertas, cui tunc est visa cavere,
Impulit in pejus; Natum nam Vota minori
Suffecere Patri: mandataque Bactra Philippo
Sumpsit Alexander, Mundumque evertit Eoum.
Nomen Alexandri pectus perstrinxit amicum,
Effulsitque oculis lux improvisa serenis, Regina erga Alexandrum & Cæsarem, quorum simulacra ex marmore domi habebat; mirum in modum effecta.
Perfuditque genas, & se propè prodidit Hospes;
Mystaque non subitò verba interjuncta resumpsit.
Hic est, quem magnæ vis alta, & fervida mentis,
Indomitumque decus dextræ damnare Parentem
Impulit, & falso stirpem debere Tonanti.
Atque equidem in nullo tantum est Heroe coactum
Roboris, atque animi: major majore periclo
Semper, & immensâ sumens à mole vigorem.
Is natum Arsàmo, repetitis cladibus, Orbe
Exuit Assyrio, Medoque, & Persidis oris:
Invictàque manu prosternens cuncta, nec ullis
Objicibus vetitus, reserataque Regna triumphis
Mensus, & Alcidis, Bacchique immanibus actis

Acta supergressus dites penetravit ad Indos,
Oceanique intravit aquas; nec limite tanto
Lætus, ad occiduas se jam converterat oras.
Rupit iter Fatum, crescentemque una morata est,
Sed neque Mors Hominem satis est testata peremptum,
(Tantus & in functo mentiti Numinis Index.)
Hic tamen, humani qui dedignatur haberi
Stirps generis, nascique Jovis de sanguine pugnat,
Jam nova Regna tenens, & fastus plenus, & iræ:
Ut procul in Sacrà venerabile Nomen Jehu
Fronte videt, trepidâ dedoctus mente tumores
Procidit ante pedes, & se submisit Jaddo.
Vis eadem nullis mutata, aut debilis annis
Terrarum Dominam mersurum contudit Hunnum,
D. Leo P. M. ad Mincium factus obvians Attilæ. *Quodque nec objectæ poterant prohibere phalanges,*
Non juga, non fluvii, Decus hoc evicit inerme,
Nudaque Majestas, tantùmque inscripta Tiara.
Et superest, qui pugnet adhuc crescente furore
Illum nosse Deum, cujus vel nomen & umbra,
Exarmat gladios, & Mundi sceptra tenentes?
Imperii spolium, sectumque in frustra cadaver
Invasere Duces, Dominique potentis Imago
Didita per famulos longum permansit in ævum.
Extulit inde caput Romana Potentia, cujus
Ora Lupæ gentes sunt degrassata per omnes;
Tantaque congeries avidà minor extitit alvo.
Lentior, & sensim Mundi hæc est jure potita;
Latiùs at metas, & fusiùs ante peractis
Protulit Imperii, tenuitque diutiùs Orbem.
Olim tantus erat vastissimus ambitus, olim
Rerum Roma potens, primus cùm Cæsar habenas
Arripere est ausus, vetitumque insistere Culmen.
Ille quidem mitis, meritusque ad sceptra vocari,

Quique,

Quique, quòd invitus civiles ſumpſerat iras,
Noxior ipſe ſibi, veniamque expertus iniquam.
Sed Patriæ diras temeratæ paſſus, & enſes
Occidit in curſu, vittæque piacula ſolvit
Tentatæ, & largo penſavit ſanguine Regnum.
Certiùs Auguſtum viſa eſt Fortuna fovere.
Nec minor Hic altâ Julo virtute; cruentas
Si tamen excipias Tabulas, Sceptrumque relictum
Privigno, monſtrum juxtà quò creſceret ipſe
Pulchriùs in laudes. Multum Regina Canopi
Contulit incerto Mundi de Jure. Saluti
Partibus Antonj fuerat, ſi adverſa fuiſſet.
Uſqueadeò eſt funeſtus Amor, de tramite recto
Cum trahit abreptos, & ſumptis regnat habenis.
Objce ſublato, Parthiſque timore ſubactis,
Craſſorumque datis ſpoliis, cultuque redemptis,
Unus in immensà dominaris victor arenà,
Octavi, atque alto jam tangis vertice Cœlum.
Ne tamen in toto videaris Maximus Orbe,
Reſpice Bethlemis nudum Præſepe. Tumentes
Subſident animi. Potior, majorque Poteſtas
Exerit inde Caput, quam tu, ſi poplite flexo,
Si donis, ſi mente coles: multùmque, diuque
Nunc poteris felix, atque olim Divus haberi.
Julia poſt illum Dominos tibi, Roma, dedere
Germina: mox Flavj fons Sanguinis: inde favoris
Imperium merces, merces nunc enſis, & auri.
Arctica nutantem donec Bellona ruinam
Impulit in præceps, laxataque vincula rupit.
Et nunc trans Iſtrum vix reſtat nominis umbra.
Cætera barbaries, inimicaque ſorbuit ætas.
Non tamen hæc inter Terrenæ Culmina molis
Ille ſacer numeratur Apex, qui vertice Cælum Hierarchia.

Intrat,

Intrat, & in patriis etiam jus vindicat Astris.
Hunc major distinguit honos, majorque potestas
Erigit. Humanas quantùm natura coruscat
Diva super sordes: tantum suffecta Tiara
Eminet, & Regum Vittis præfulget, & Ostro.
Non hæc Fortunæ subjecta est casibus ullis
Incertæ: ridetque fugam revolubilis ævi
Integra, & illisu vires instaurat, & auget.
Quin neque Tartarei fraudes, furiasve Barathri
Horret, & exortas inimica in prælia pestes
Spernit, & infringit, sumitque à clade vigorem,
Et desertricem subigit per fulmina Phlegram.
Nempe omnis secura metus, & certa Superni
Polliciti, & nullis unquam cessura procellis,
Ardua perfruitur nimbis, atque imperat undis
Argo hæc: & solvens Romanæ è portubus Arcis
Tramite non flexo Superas appellit ad oras.
Non hùc ambitio, non hùc conatus, & astus
Tollit anhelantes; sed, quos elegerit Æther
Invitos etiam, detrectantesque teneri,
(Usque adeò Humanis deberi respuit ausis)
Arripit, & Solio cognato imponit, Olympus.
Turbine tam celeri, quàm sum tibi pænè remensus,
Maxima Sceptrorùm quater est mutata figura.
Et modò tantarum quænam vestigia rerum
Stant supèr, ut credi Moles audita fuisse
Non timeat? Sacris, si quæ monumenta supersunt,
Ingeniis debent, quòd non intercidit omne
Nomen, & elapsis saltem levis umbra perennat.
Semidei nunc ite Duces, quos prodiga lactat
Gloria: ceù lentè claudat se circulus ævi,
Sollicitate mori, fatumque arcessite ferro.
Ite, superbifico quos educat Aula tumultu,

Terra-

Terrarum Domini : ceù vos impellat in escas
Defectos jejuna fames , depascite fines
Contiguos , semperque novos deposcat inanis
Esuries , venterque cibos . Pulcherrima tantis
Præmia contingent votis : caligo , ruinæ ,
Nullaque , vel dudum non duratura , sepulchra.
Tu tamen hæc olim tenuisti prorsùs , & umbras
Aptiùs ut fallas , promi tibi rursus amasti ;
Nec piget obsequi promissi : & tendimus ultra.
Hactenùs in terris tanta ad fastigia tolli
Regibus indulsit Fatum . Minùs exit in altum
Ambitionis iter , metisque includitur arctis.
Seu Pater omnipotens tantum Mavorte vetarit
Turbari , vertique Caput jam posse per unum.
Surgere seù jussas Æterna ad præmia Mentes ,
Lustratasque iterùm , Natique Cruore redemptas ,
Cessurâ mercede capi miseratus inanes
Fregerit allectus , & vim contraxerit ausis.
Quòque minùs distat ruituri terminus Orbis ,
Fatalisque dies , magis hòc , tellure relicta ,
Jusserit Astra sequi , dignosque optare triumphos.
Hoc effata Patrum , Sexus hoc monstrat uterque ,
Ipsius ut facta est vox internuncia Cœli.
Obstitit hoc quemquam post plurima secla Potentum
Tollier in tantum ne Gens conspexerit ulla.
Una quidem superest vires missura Potestas
Longiùs effusas , & transgressura peractas.
At scelus , & clades , contractaque meta furoris
Infandi , finemque sacros habitura per ignes ,
Excipit à Regnis turpissima Regna profanis ,
Quamvis vasta nimis , quamvis excesserit omne Antichristi Periodus , & Catastrophe.
Ille tumor spatium , vetitisque accesserit Astris.
Sed potior quæcunque quies , stellasque cadentes

Audire ,

Audire, atque artus operi reparare diurno.
Nam minùs hæc Homines contingunt bella. Ciebunt
Scilicet hi Superos, armataque Tartara, motus.
Acriùs exarsit tam magni Martis amore
Virgo, nec ingentes passa est nescire labores:
Cessantemque senem tantos evolvere casus,
Imperio propior, nec sat privata coegit,
Cærula nam subitis fulserunt lumina flammis
Impatiensque moræ verba interemissa resumi
Jussit, & in lucem contentis cursibus ire.
Mysta Regina deprendit. *Regales tunc Mysta notas, & jussa secutus*
Reginam prendit: pulchrèque usurus amico
Tempore, dissimulat, commotaque pectora cautus
Sedat, & ambages in rem confisus ituras
Virginis, insequitur; nec jam velit ipse morari.
Lunigeri forsan miraris sceptra Tyranni
Turcarum Imperium. *Tractibus immensis tot jam dominata per annos*
Arceri à Quatuor, nec in his meruisse locari.
Quippe Othomanus apex nimiùm consurgit in altum,
Perque Asiæ, Libyesque plagas se fundit, & ipsam
Crescit in Europam, trepidamque elatus obumbrat.
Sed nostris Gens illa malis se debet. Inertes
Rivales auxere Scytham; nec sustulit illum
Martia vis animi: sed amantes ocia Grajos
Indignata pati Turcam Fortuna secuta est.
Caucaseis hoc stravit iter: nec defuit unquam
Æmulus; atque etiam nunc æquo Persa Gradivo
Stat contra. At quoties Veneto multatus ab hoste
Cessit, & Austriacis pacem quæsivit ab armis?
Hinc tamen invisum Superis conflabitur olim
Imperium, & vires Vis hæc transibit in illas,
Fiet & immanis non fictæ accessio Phlegræ.
Hæc, quæ tanta patet, si pars erit illius una,

Molis

Molis inexhaustæ quantum se proferet Orbis
Tot nova Regna trahens, atque Orci viribus auctus?
Vaticinis si certa fides, quos instruit Æther,
Tempus erit (nec longa nimis distantia restat)
Efferet extremo cùm se conamine Pluto;
Inque uno congesta viro vis omnis Averni,
Quâ datur, invisos odiis immanibus ibit
In Superos. sedesque iterum sperare beatas
Cùm sciat in vetitis: cunctas regnare per oras
Poscet & ereptis ulcisci Gentibus Astra,
Consumetque scelus; ni se manifesta per arma
Objciat Numen. Fidi labor irritus omnis
Agminis: inque unum Cultor, Cultusque jacebunt.
O Mundi spes, atque salus, tantumnè licere
Ausibus infernis! tantum se tendere Sontes!
Et tantum lugere Pios! Cur rursus in undas
Non placet ire solum? Cur non telluris hiatu
Sorberi Gentes? pollutovè aeris haustu
Corrumpi mortale genus? glebâvè negante
Fœnora destitui populos? Terramve cremari
Ignibus æthereis? At non permittere Monstro,
Hostis & impuri non indulgere furori
Pectora vota tibi, clademque augere pudore?
Abripior quò mentis inops? Quid contigit unquam
Pulchriùs Innocuis, ipsos quàm tela reflecti
Cædis in Authores? Ipsos conflare triumphum
Partibus afflictis, fusosque in Regna levare?
Durat in Assyriis Babylon pharetrata ruinis
Euphratis quondam, propior nunc Tigridis undis.
Terra nocens, semperque Piis infensa, fidemque
Exuta in Superos, furiisque agitata profanis.
Sæpiùs Isacios hæc est populata Colonos,
Primaque damnatis erexit manibus Aras,

Unde Superstitio dirum caput extulit Orbi.
Hæc Pesti natale solum. Miserabilis ortu,
Infelixque nimis tam diro, & noxia Tellus,
Et, si non alio læsisset crimine Cœlum,
Hoc satis irati fulmen meritura Tonantis!
Principiò tamen Ille decus quascunque per artes
Asseret, & clarum fingendo nomen adeptus
Callida venturi ponet fundamina Regni.
Editus impuris nam vix incestibus Infans
Impia Vipereæ proles certissima gentis
Tempora præveniet, specieque tegente furorem
Mentibus illudet, crescentesque adstruet umbras.
Quas fraudes? quos illa dolos? quos ibit in astus
Versicolor Pestis, faciesque à corde rebellis
Semper, & à tragico diversa aulæa theatro?
Quos non ingenium per blandos ductile mores,
Pulchraque lethifero species prætenta veneno
Fallet, & invisi vultus simulator honesti?
Fertilis ille quidem per se, commentaque mille
Nectere mente capax; sed quid sub Dite Magistro
Artibus, insidiis, animisque, & viribus auctus?
Criminis, & labis, si picta in fronte moreris,
Osor erit: diri subeas si pectoris antrum,
Mille ibi tunc scelerum facies, inimicaque cernes
Agmina Virtuti, sitibundaque monstra cruoris
Humani, & patriis quidquid bacchatur in umbris.
Auctibus usque adeò crescet provecta nefandis
Indeprensa lues trans fines stirpis Apellæ,
Exsectosque suos, infecti ut plurima Mundi
Pars eat in tabem, mox triste in funus itura.
O scelus! ò nimiis Judæ Fæx hausta tenebris:
Haud satis est turpes dudum non prendere fraudes,
Crescentesque dolos ulcisci, & sumere pœnas?

Ultrò

Ultrò etiam pronis itis cervicibus? ultrò
Per vestras oratis opes, & sanguine toto
Imponi terris, & cladibus Orbis abuti?
Ille tamen ceù vile decus, titulique pudendi,
Sceptra tenere manu, vittasque inducere fronti,
Segniùs accedet, nec sat dignabitur Ostrum.
Numinis in Trini sese commercia tollet,
Impurumque caput violatis inferet Astris;
Æquævusque Patri, genitusque è Stirpe Tonantis
Contendet credi, redimendo debitus Orbi:
Speratusque diu, tandemque in tempora missus
Postrema, & pleno rediturus in alta triumpho.
Ficta nec insano deerunt miracula Monstro
Sæpiùs, & Magicæ damnata potentia Virgæ:
(Ditis opus) vafroque oculos fallente Magistro
Splendidus innumeris imponet Gentibus Error.
At, quos pura Fides, quos non concussa tenebit
Vis animi, & nullis obnoxia corda periclis,
Numinis irrisi certus saturare dolorem
Differet innumeras per clades, longaque dudum
Per tormenta trahet. Sed quid tibi proderit ensis,
Flammaque, vel totos mors circumducta per artus,
Ingeniose Furor? sunt hæc elementa salutis
Scilicet innocuis, teque his ulciscimur armis.
Latiùs hinc rabies se tendet. Proxima tantùm
Perdere vile nefas: Immani mole superbus
Militis, & Gazæ (namque illi dives opertum
Arbiter Umbrarum per sæcula proferet aurum,
Explebitque famem) Reges consurget in ipsos,
Mandabitque coli, Dominusque, Deusque vocari
Exiget, & primum vectigal, Thura reposcet.
Pigra nec, obsequium Gens circumfusa Mahomæ
Promittet, jungetque manus. At Græcia mendax,

Diffidioque furens, castosque perosa Latinos
Fœdus in infaustum studiis ardentibus ibit.
Mox, quascunque trahit perversa in dogmata mentes
Sceptri sola fides, vel tuta licentia juris
Contempti, aut, Cœli fugiat quò vindicis iram,
Inficiata Polum, vigilesque Amentia, Divos,
Succedent castris, vexillaque nigra sequentur.
At verè Romana manus quocunque sub Axe
Sparsa Palestini contemnens jussa Tyranni,
(Namque ibi se, Christi Nomen mentitus, & acta,
Efferet, & Solymæ funestus polluet aulam)
Expediet gladios, animasque vovebit Olympo.
Sed nimis inferior numero; (nam singulus hosti
Centeno occurret, jurati viribus aucto
Ditis, & insidiis:) &, quòd cecidisse juvabit
Usque sub extremam Superis cessantibus horam,
Sæpè redundanti complebit sanguine campos,
Inque diem fœdis decrescet cladibus hausta.
Non tamen oblitæ post hæc Cœlive, suive
Relliquiæ ponent animos, Monstrumque superbum
Orabunt veniam, recipique in fœdera poscent.
Læta sed intacto subituræ sidera collo,
Libera servitio præponent funera turpi.
Pulchriùs utque cadat supremi audacia Martis,
Sponte Palestinis, quà confertissimus Hostis
Intendet cuneos, currusque locabit, & arma;
(Hæc Regni, & belli namque Arx) dispersa coibunt
Agmina, & invictis consument orsa lacertis.
Ergo dies aderit finem visura duelli
Imparis, & certus fati, propiorque triumpho
Impius effusis spatium vix nactus in agris,
Nec satis immensâ distentus mole, vocabit
Turgidus invisum dira ad spectacula Cœlum

Auxilii

Auxilii in ſocios objurgaturus inane.
Atque equidem tanto vultus ſe promet Olympi
Lumine perfuſum, nullis ut riſerit ante
Fulgidior radiis. Hinc Hoſtis rebitur ipſos
Jam ſibi blandiri Superos, veniamque mereri
Obſequio. Sed lecta Manus præludere Divos
Funeribus confiſa ſuis, propiora parare
Præmia jam credet, finemque afferre laborum.
Impatienſque moræ lituos præcurret, & illuc
Intentis oculis per vulnera ſcandet in Aſtra,
Et ſternet pariter, pariter miſerebitur hoſtes.
Cornua diluvio ſed jam protenta coibunt
Immenſo: mediuſque parùm divortia campus
Obvia tardabit. Nec jam ſub nube latebit
Infernâ, ſed luce palàm ſe prodet: & omnes
Tartareas acies regni Dominator opaci
Promet, & inviſum tumidis mugitibus agmen
Conficiet, raucoque canet pæana fragore.
Non impune tamen; lævâ nam parte tonabunt
Ardua tunc Cœli, campoſque ardentibus Æther
Implebit radiis. Mox ſe digeſtus in arma
Proferet, & latè Cœleſtia claſſica clangent.
Qualiter illuvie terraſque, polumque profundâ
Cùm gravat æſtiferi regnator turbidus orbis
Auſter: in adverſum Boreas ſi tendit ab Arcto
Arduus, & nitidis nigrantem flatibus urget:
Contrahitur, tantùmque ſuas ſparſurus arenas,
Deformes nebulas, fœdoſque recolligit imbres.
Talis erit Ditis greſſum revocantis imago,
Triſtiaque attonito repetentis regna tumultu.
Illicet adverſas partes ſacer exuet horror
Viribus, atque animis. Trepidos fluitare videres,
Nec jam ſigna ſequi, ſociùmque impingere verſos

Ordi-

Ordinibus . Primus volucres timor auferet alas.
Cœlicolûm pedibus ſed quis vitaverit iras?
Ergo acies omnes funeſto in pulvere fuſas
Calcabit , penituſque truces Mars obteret hoſtes.
Tunc formidatam contentis viribus Haſtam
Vibrabit Michael , qualem ſuper Aſtra ſupremam
Impulit in Sontes , totoque ejecit Olympo.
Illa trahens flammas , tonitruque audita per omnes
Terrarum , Cœlique plagas non flexilis ibit
In Caput impurum ; ſed rectis ignibus acta
Corripiet , teloque artus populante coruſco
Hauriet , & lacerum cognato reddet Averno.
O lætas , pulchraſque vices ! fumante ruinâ
Pingueſcet Tellus , & Cæli jura reſument
Impulſas vires , cultuſque , & thura redibunt
Numinibus , jungentque Homines commercia Divis
Luſtratos : Paſtorque Unum reget Unus Ovile.
Illius auſpiciis Terras Aſtræa reviſet ,
Alternaſque colet ſedes , nec ſentiet ullum
Diſcrimen . Primi felix tunc vena metalli
Vel ſteriles ditabit agros : tunc aurea Roma
Fiet , & inviſi penſabit ſæcula Ferri.
Ille manu facili præcurrens vota refundet
Largus opes , ſtudiumque ſui , curamque peroſus
Ocia commiſſo tranſcribet providus Orbi:
Legibus occurret nimiis , frangetque rigorem
Objectans veniam gladio , Regique Parentem
Conſilii , atque animi nullis non certus in actis.
Inde ſerenati facies conſtabit Olympi:
Inque vicem Reges animis fidentibus enſes
Jam tandem ponent , lituique , tubæque tacebunt,
Altaque fraternas nectet concordia Gentes.
Sed mox , completis Superorum ſedibus , Æther

Conſta-

Constabit numero: summam nec calculus ullus
Destituet, penitusque Poli se Regia tendet.
Ergo recensurus resolubilis agmina mundi,
Dissimilesque acies, meritumque, scelusque supremâ
Lance repensurus diversi à partibus Orbis
Horrificis trepidas solvi clangoribus Urnas
Mandabit Judex, defunctaque sæcla citari.
Ante capax animæ quicquid spirabit, in unum
Deficiet, Tellusque suis viduata colonis
Ubera desertis lugebit squalida glebis,
Mugitusque dabit, casumque minata supremum
Submittet montes, vallesque attollet in auras:
Totus & humanæ campus perdetur, & omne
Ambitionis iter. Nereus consurget in Astra
Fluctibus, & trepidas illidet cautibus alnos,
Æquoreumque pecus tumefactis expuet undis
Littus in abruptum. Nec jam spirabilis aer
Omnia ventorum perpessus bella rubebit
Igne superfuso, correptaque machina flammis
Corruet in cineres, bustoque ardebit in uno.
Quinetiam rutilæ concordia sacra Chorææ
Turbabit cursus, & Cælo vulsa repente
Concidet in terras. Phæbe non hauriet ignes
Obvia fraternos; namque Hic quoque luridus ibit
Lampade sanguineâ, morituraque lumina condet
Nubibus in nigris; nec jam discrimina ducet,
Assuetasque vices, fæcundumque instruet annum.
Sed mora Justitii non longa. Erumpet ab antris
Umbrarum Examen, rursusque replebitur Orbis.
Dispersi Cineres, vel, quos sitientibus undis
Sorbuit ira maris: vel, quos fuga præpetis ævi
Transtulit in glebas, variosve aptavit in usus
Pauperior luxus; conflatis artubus ibunt

Anti-

Antiquam in ſpeciem, vitamque repente reſument,
Terribileſque Tubas greſſu trepidante ſecuta
Triſtis ad horrendum ſtabit Natura Tribunal.
Poſcet inaſpectæ latebroſa piacula mentis
Quæſitor nullus; nam ſe nox alta refundet,
Pectoraque evolvet: tenebræque, ſinuſque profundi
Deſtituent trepidos: inſcriptaque crimina fronti
Ipſa reos peragent, & Sontes Culpa loquetur.
Hunc liceat tranſire diem; pars optima quando,
Et ſecura Poli, velit hunc per tela, per ignes
Effugere. Exacto Sontes examine manes
Manibus à Puris diriment merceſque, locuſque.
Tunc, quicunque nocens triſtes mittetur ad umbras,
Serviet æternùm. Meritos qui ſcandet in axes,
Rex erit immunis fortunæ, & temporis expers.
Cui ſi componas, quicquid per jura, nefaſque
Implevit Reges, ſemperque reliquit inanes:
Spernendum, minimumque voces; Regina Trionum
Cui nunc invideat pulchrè, mox pulchriùs æquet.
Talia nectentis percuſsà in fronte refulſit
Per rimas immiſſa dies. Nec plura; tacenti
Promeritum teſtata ſatis conſurgit, equumque
Scandit, & ad trepidam Regina revertitur Aulam.

LIBRI

LIBRI QUARTI


ARGUMENTUM.



Hriſtina ſatis non habens Indigenas armorum, & litterarum ſtudiis celebres reddidiſſe, eoſdem ſatagit mercaturâ locupletare cum remotiſſimis etiam Regionibus commercia inſtituendo. Hinc Claſſe comparatâ, & Navarco Cœli, & maris ſcientiſſimo eidem præpoſito ad Bonæ-ſpei Promontorium mandat appellere, atque ibi Caſtrum excitare, quod Coloniæ ſedes, & Negotiationis cum utriſque Indis, qui hinc Gammâ, inde Columbo Ducibus latè jam patuerant, & celebrabantur, opportunum eſſet Emporium. Inter eos, qui conſcendère, altero alterius ignaro, Berga fuit, atque Erminus. Hi mutuo amore affecti, ſed non conventuri, deſperatis rebus ſe vectoribus immiſcuere; nam furori impares, & ſpe vitæ projectâ, procellis potiùs, & naufragio effugium ab ineluctabile malo, quàm ipſos ſibi manum inferre, maluerunt. Hos tamen melior fortuna, & feli-

cior manebat exitus, ut videre est in fine hujus libri. Pluto in dies de Christinâ suspiciosior, nec satis fidens dolosos Hæreseos casses eam detenturos, omnibus, & singulis illius inceptis adversari, atque hostem se ferre constituit; emissæque Classi exitium meditatur. Jamque erat, ut voto potiretur, nisi cura Numinis, & tutela instanti eam periculo eripuisset. Polliciti namque memor, quo Christinæ per Bergittam se rebus affuturum promiserat, Tempestatem in illius profectum convertit. Venti igitur, Numinis imperio, laborantem Classem in tria agmina partiti, per ultimas Orientis, Meridiei, atque Occidentis oras addictis flaminibus circumvexere, ut undique, ubique (quod Cœli intererat) Christinæ nomen innotesceret. Hujus erroris occasione Terrarum, & Gentium illarum species exhibetur. Universæ denique Classis ad Moluccas conventus, atque Ermini, & Bergæ præter spem Conjugio, & Regno potitorum casus in melius conversi efferuntur.

LIBER QUARTUS.



LAtiùs hæc inter moles suscepta Gradivi
Tenditur, inque dies profert se cura, laborque
Anxius hinc, illinc; nam, quò majora coire
Senserat Augustus redivivi in prælia martis
Agmina Gotorum, tantos hòc auxerat ipse
Impiger objectus, ut non sat duceret Arcto
Obniti, infessæ totis sed fideret oris
Pellere Teutoniæ, cladesque abolere receptas.
Acrius hinc hostis metitur sedula vires
Christina, & plures molitur cauta paratus.
Sat sed inexpletæ non est incumbere menti
Armorum in curas, terrâque urgere labores:
Arripit & Pontum, pelagique impenditur undis.
Hinc, mora dispositis dum provida consulit armis,
Multiplicatque acies, & proficit undique bello,
Imperat Oceanum complexum fluctibus Orbem
Auspiciis intrare suis, ignotaque, Cives,
Astra sequi, mersisque diu se ostendere terris.
Nuper ab Hesperiis felix audacia Regnis
Indignata pati Mundi confine vetusti
Classibus emissis geminos deprenderat Indos
Nequicquam pugnante Salo: partitaque fluctus
Hinc Orientis opes, hinc Regni incognita seri
Solis, & occultum proavis detexerat Orbem.
Ergo animi exuperans algenti à cardine cunctas
Amplexa est gentes, mundumque hinc, inde retectum.
Quòd, nisi posterior vitæ prodjsset in auras,
Auspice Christinâ transmissi Gotus haberet
Oceani titulos, phœbumque teneret utrumque.

Ne tamen Arctois sedes submota noceret,
Præreptusque labor, pubem, pinusque parari
Jussit, & abscissas per fœdera jungere Terras.
Sed non in tantos se sustulit ardua cursus
Ausibus humanis; mens illi hæc indita Cœlo.
Scilicet intererat Superûm per singula tendi
Virginis Arctoæ Nomen, nullosque latere
Hanc, (quâ non ulli resipiscere cariùs emptum est,)
Præfulsisse Jubar Populis quocunque sub axe
Tramitis in rectum vertendi, Regia tutum
Quâ via monstrat iter, quâque incessere Parentes.
Vandalicâ tunc forte Gyas degebat in Aulâ,
Urbe Gyas Tyriâ prognatus, & ætheris anceps
Ingenium, & Pelagi primis edoctus ab annis:
Cui ludus vicisse hyemes, ventosque furentes
Cogere quò vellet, sævâque utroque sub Axe
Tempestate frui, mox post dispendia cursus
Fluctibus eversi rursus pugnata subire
Littora, & optatâ incolumen regione potiri.
Hunc oneri Regina parem delegit, & altum
Misit in Oceanum, commissasque imperat alnos
Dirigere, & primi curam Rectoris habere.
Præcipuè tamen ille Labor mandatur: ad oras
Sistier Æthiopum, cùm jam transmiserit ingens
Caput Bonæ Spei. *Afrorum Cornu: quò nunc sperare Carinas*
Spes sublata jubet, vetitumque recluditur æquor:
Atque ibi Christinæ de nomine dicta locare
Oppida, & è patriâ transcriptos pube Colonos
Hîc sedes optare novas; Notus unde profundo
Totus, & Eous lustrari posset uterque.
Omnibus instructas armis retinebat in actâ
Anchora deductas altis navalibus alnos
Ter numero denas; qualem non duxit Jason

Inſuetum per iter, nec quales debita fatis
Præſtitit Æneæ venturo in regna Cybelle.
Erminus hæc inter fruſtra luctatus amori,
Nec jam par oneri: poſtquam via nulla potiri
Conjugio Bergâ, ſpeſque omnis prorſus abacta,
Deſpondens animum, projectâ luce mederi
Decrevit morbo, ferroque evadere curas.
Nec minor in Bergâ furor eſt, populante medullas
Peſte, nec ulteriùs flammis creſcentibus æquâ.
Polliciti nam Virgo memor, votique ſuperbi,
Contemptique thori, toties quem reppulit ante,
Erubuit dici inferior. Num Berga feretur
Propoſiti inconſtans, famæque oblita prioris?
Quid Pater, & Cives? Dubiæ hæc retinacula mentis,
Luctantiſque animi. ſed cunctis altiùs horret
Cenſuram, Chriſtina, tuam; cui ſæpè maritas
Damnarat tædas, prætentaque nomina fraudi.
Ergo certa mori vitæ præferre pudorem
Conſtituit. Trepidos turbo hic verſabat Amantes;
Cùm ſors immodicos tandem miſerata furores
Mitiùs incubuit, mentemque immiſit amicam,
Oſtenditque rates ventis jam læta parantes
Carbaſa, & antiqui metas trans Orbis ituras.
Inde animos utrìnque ſubit ſententia terras
Linquere Vandalicas, & clam conſcendere Claſſem.
Forſitan externi Genius, Fortunaque Cœli
Auxilium diverſa feret, claudetque cicatrix
Vulnus, & ablatos longè minùs hauriet ignis.
Sin ſecùs, æquoreæ longinquâ in parte procellæ
Succedent manibus; nec mors illata nocentes
Arguet: & fato potiùs periiſſe juvabit.
Hoc ſedet, hæc dubiæ lecta eſt medicina ſaluti.
Hinc cultus, nomenque ſimul mentitus in alnos

Diverſi

Diversi scandunt varias , ignarus uterque
Consilii alterius , tantùmque relinquere tristis ,
Quem mens non discors , & Sors ducebat in unum .
Haud mora: dimittit puppes sublata volucres
Anchora , & (augurium cursus) tumuere secundis
Suppara flaminibus . Primo vix littore funes
Solverat , & medium Classis properabat in altum .
Ite pares Animæ , meritum queis Fata laborant
Christinæ blandita thorum . Nil unda nocebit ;
Nil furor Æolius . Quantò disceditis Orbe
Longiùs antiquo , tanto Fortuna propinquat
Ocyùs ; haud solùm felix contenta parare
Connubium , sed Regna simul , nomenque datura .
Nam ; si quid dexter nostris indulget Apollo
Carminibus , memori recolent vos ore Nepotes ,
Nigra nec invisis famam Styx obruet umbris .
Interea provecta vadis volat æquore Classis
Parrhasis , & validis Aquilonibus acta per æquor
Urget iter ; mediasque fugit læto agmine terras ,
Oceanumque subit , dextrâque à parte Britannos
Linquit , & Herculeas angusti limitis oras
Præterit , & ridet metas animosa vetustas .
Nec solùm tenues veterum reminiscitur ausus
Nautarum in fluctus , repetit sed nubila mentis
Humanæ , & longâ clausum caligine verum .
Rumor erat quondam nimiis vel solibus ustos ,
Attonitosve gelu nimio squalere vacantes
Terrarum tractus , & nullos ferre Colonos .
Par quoque fama fuit commentos esse Poetas
Antipodum gentes , inversaque corpora miro
Fulcisse ingenio , nec labi in Sidera passos .
Hic adeò nunc error abjt , ut noctis avitæ
Nos etiam pudeat ; nec sat parcamus ineptis .

Nam

Nam, quos bruma premit, populis obnoxia præstat
Corpora, & immitis reddit patientia Cœli
Firmior, atque artus durat, Natura, valentes.
Et, quos incussis recto Sol tramite flammis
Afficit immodicus, radios nec temperat umbrâ,
Nubibus hos reficit pluviis, incensaque Regna
Temperat illa Parens, certoque reciprocat imbre.
Quodque superficies porrecta absolveret Orbem
Prorsus, & occiduis exceptum fluctibus axem
Flecteret obliquo terrarum margine Phæbus
Littus ad Auroræ; cui non ridenda videri
Simplicitas poterat, dubiæque infantia mentis,
Vel, cùm velivolum nondum Victoria cursum
Cardine ab Hesperio seras molita per oras,
Perque Austri latebras, & per cunabula Solis
Carbasa convertit, Patriamque sinistra revisit?
Hæc, vario sermone, viæ dum tædia mulcet,
Plurimus evolvit Vector, Proavûmque tenebras
Pars minor excusat, major traducit, & urget.
Crescit iter liquidum fusis per læva, nec una
Insula Fortunæ quondam de nomine dicta
Apparet. Classis portus intrare recusat
Incita; nam dotis decrevit fama beatæ,
Et vani titulos jam non mentitur Elysj.
Cursibus instanti natalis transfuga ponti
Impingit Classi Piscis, nimboque volucri
Obruit attonitis turgentia vela Carinis.
Infelix! gemino quamvis hunc larga favore
Distinxit Natura parens, cunctisque negatas
Indulsit pennas auris, & fluctibus aptas.
Nam desertorem Cives sub nota reversum
Æquora diripiunt, peregrinaque Regna petentem
Discerpunt veræ volucres, pœnasque reposcunt

Aeris

Aeris arrepti ; miseroque negatur utrinque
Perfugium . Nusquam tutum quæsisse receptus :
Invidiamque luit nimiùm potuisse vagari .
Præterit hàc Classis contenta , atque alite flexu
Longa per immensi rapitur dispendia cursus ,
Et Virides transit , dictasque à Principe terras
Fluctibus ambitas , sociasque hinc , inde minores .
Jamque diu sine nube Polum , sine turbine Pontum
Præstiterat non fluxa fides ; & versa per Austrum
Obliquat cursus , sensimque inclinat in Arcton ,
Æthiopasque petit Classis vix passa nocentis
Malaciæ Cubilia. *Tædia Desidiæ , medio quà torpet ab axe*
Solis iners pelagus : Latè cùm cepit ab alto
Audiri fremitus , nullàque urgente procellâ
Misceri anterior , seseque attollere Gurges .
Arma citi expediunt : trepidis timor anxius omnes
Intendit vires . Strepitus crebrescit , & æstus
Densior ebullit , seque altiùs erigit æquor .
Ardua vicinis Libye quà tunditur Austris ,
Rupibus aeriis altè consurgit in Astra ,
Fusiùs & medias tendit spatiosa per undas ,
Atque indignantes immensis cautibus audax
Longiùs intrat aquas , Tethynque umbone repellit .
Terminus hic Mundi , limesque , & meta vetusti ,
Sive quis in Zephyros , ab Eois solveret oris :
Sive quis occiduis à Gadibus iret in Eurum ;
Æquoris oppositi discordia tanta rebellat .
Scilicet hîc latè non unus Claustra tuetur
Oceanus , probibetque aditus , pariterque retundit
Alterius furias , & fluctus fluctibus arcet .
Nam pudor , & crimen , secli si proditor Orbis
Commissum reserasse latus culpetur , & alnos
Excepisse sinu , nec sat clausisse latebras .

Hoc

Hoc etiam positis visa est Natura cavere
Obijcibus, geminumque solo secuisse Profundum.
Hinc furor, & rabies, formidatusque carinis
Incursus. Pinus alio flexere volucres,
Undosumque Chaos velis, & remige Nautæ
Vitavere procul. Cui diræ accedere pesti
Contigit, & tantos audire impune fragores?
Nullus ibi Triton, nullæ lusere choreæ
Nereidùm: minor ipse suos Regnator aquarum
Inde rapit currus, & sceptri jura relinquit.
Non opus externo miscenda in bella furore.
Sat sua tempestas iratis sufficit undis,
Et tantum Æoliæ nunquam potuere procellæ.
Tunc quoque trans morem, majus ceu dedecus esset
Jam nec ab Arctoo sat se defendere mundo,
Sævior in pugnas vires eduxerat omnes
Pontus, & immixtas undis ructabat arenas.
Ergo per indomitas immensi gurgitis iras
Vandalicæ Puppes, non cæco turbine raptæ,
Spontè sed hoc ausæ, rostris spumantibus intrant
Mortis iter vastæ. Phæbeos scandere currus,
Et regere: Infernæ perfringere limina portæ,
Et vinctum trahere inde Canem, non exigat unquam
Hos animos. Tonitrus tentata insania Ponti
Rupit, & ex imo se substulit obvia fundo.
Mugitus dabat unda furens, raucumque fremebat
Africa monstrifero latè pulsata profundo.
Vela quis horrendo non crederet hausta barathro?
Illa procellosos dudum luctata per æstus
Exuperant, rectosque tenent interrita cursus
Indignante Salo, totisque in bella citato
Viribus, atque omni sublato in sidera fluctu.
Qualis, ab Oethæis dum surgit in Astra favillis

Provocat Alcides flammas, mediosque per ignes
Volvitur, & sequitur cupidis incendia membris:
Non secus Arctoæ glomerata per alta Carinæ
Irrumpunt, fluctusque secant; quàque unda debiscit,
Quàque abit in cumulos, iterumque, iterumque feruntur.
Nec tantum tentare vadum, littusque videntur
Tendere ad ulterius: quantum freta cæca domare,
Et formidatum penitus submittere monstrum.
Ecce autem exhausti jam jam sub fine laboris
Instaurare Malum vires, alioque tumultu
Attolli Oceanum, geminoque à cardine verti.
Viderat emissas Arcturi è sedibus alnos
Arbiter Umbrarum longinqua in Regna citari
Austrorum; certusque nihil vulgare parari,
Cessurumve sibi, quod Virgo Arctoa moveret:
Ex quo tentatas elusit provida Tædas,
Pellacesque dolos, astusque retexit opertos.
Jamque aliquid spirare videns tellure remotum,
Et confine Polo, Stygiisque haud utile Regnis:
Ipsius obniti inceptis, & tendere contrà
Constituit, nullosque pati procedere cursus.
Ergo, ubi ab Ethyopum vidit se exolvere Classem
Fluctibus, atque Erebo non suffecisse Profundi
Dissidium: socias furibunda in bella cohortes
Aeris excivit, tempestatumque potentes.
Ilicet extremi tonat angulus undique mundi,
Incestantque diem nubes, Solemque, Polumque,
Eripiunt. Solo mœret desertus in antro
Æolus: insani baccantur in aere Fratres,
Infensàque latus commissum fronte tuentur,
Intenduntque animas, omnique à parte rebellant.
Qualis in Æmathià rabies civilis arenâ
Civibus opposuit cives, atque obvia pilis

Pila dedit, paribusque armis paria arma cruore
Imbuit Ausonio, cognataque jura resolvit.
Jam furor ille prior, rabiesque domestica clausi
Oceani, tranquilla quies, paxque alta videri
Huic poterat collata malo. Nox, unda, procellæ
Ingeminant; nomenque timor non invenit ullum
Par hyemi insanæ, responsurumque periclo.
At non sub tantà crescentis mole furoris
Destituit trepidos, promissaque liquit in arcto
Attonitas Tutela rates, sed vertit in usum
Hostiles objecta minas, hyememque profundam
Frena pati jussit. Mundi nam Rector in undas
Lumina declinans, deprensaque robora cernens
Cardine in extremo furibundi fraudibus Orci
Christinæ infensi, latè jactare Carinas
Permisit Pelago, metasque negare propinquas:
Naufragium vetuit, stimulosque rependit habenis.
Flamina quinetiam cùm jam flectenda, coegit
Permutare vices & , quà foret utile, verti
Lege pari incessus. Tanto sic usa tumultu
Convaluit Classis, stygiisque est aucta procellis,
Profecitque malo. Nam, quæ fuit una, repente
Vertitur in trinam, Dominamque imitata resurgit,
Lætaque multiplicat, fruiturque, & crescit ab hoste.
Convenisse putes Ventis, sic agmine secto
Impulit, inque alias rapuit certo ordine terras
Partem quisque suam. Triplici tunc tramite fusæ
Lymphantur, pelagusque secant declive Carinæ
Velivolæ: liquidique perit levis orbita lapsus.
Adjuvat ipsa Thetis cursum, ventisque coactis
Conspirat, sternitque vias, & commodat undas,
Versa retrò partim, partim directa per Austrum,
Limitis Eoi partim digesta per ortus.

At primùm da, Musa, mihi revoluta per Eurum
Vela sequi. Pars illa minùs manifesta, diuque
Delituit; longasque moras pensare reposcit.
Littora prætereunt transmissa. Ipse arduus Atlas
Conditur, & notæ pereunt confinia terræ.
Jam nova mutato mirantur sidera Nautæ
Ire Polo, facibusque aliis ardere serenum;
Nullaque jam mundi superant vestigia primi.
Hîc, ubi tantarum campus se pandit aquarum,
Quantus & æquorei currus lassare Tonantis
Possit, ad extremi si tendat limitis oras:
Atlantis Platonis. *Terra fuit quondam, quæ nomine nomina magni*
Sumpsit ab Atlantis, si non manavit ab illâ
Nomen, & est titulos major largita minori.
Nam, si committas Asiam, Libyamque, deesset
Sic quoque par spatium, multumque excederet ambas;
Urbibus, & Populis adeò celebrata, frequensque:
Ut simul & Libyen, Asiamque impelleret una,
Obsidio premeret, latèque everteret armis,
Oppida nec Cives, raros nec gleba Colonos
Sentirent; sed plena Viris tellusque, salumque
Ferveret, & totis fluerent commercia ripis.
Hæc, seu perpetuis aliò propulsa profundi
Fluctibus Occiduæ metis accesserit oræ:
Sive Soli motu; magnoque Tridente fatiscens
Siderit inferiùs, montesque obduxerit altos:
Destituit patrias sedes, & destitit esse.
Molis at immensę dudum mansere per æquor
Relliquię, cęnumque tenax, innabilis unda
Ut foret, & lentis probiberet fluctibus alnos.
Sed, quę vel repulit, vasto vel sorbuit ore
Congeriem, pariter Vis eluctata morantem
Dispulit, & liquidi reseravit claustra meatus.

Non

Non tamen ullius fisa est audacia tantum
Arripere undarum, serique cubilia Solis
Visere, & ablatas, vel mersas quęrere terras;
Donec ab Hesperiis, Jani Vir natus in Urbe
Suffecit fatis, animosâque abiete vectus
Primus iter rupit, dubitataque littora prendit:
Attonitisque oculis, & longa in sęcula clausis,
Excussit tenebras, mancumque retexuit Orbem.
Hâc agitur Classis; facilique volumine fluctus
Puppibus obsequitur, desperatumque recludit
Littus, & ignotis jactatos applicat oris.
Vindicat Hispanis missum quæ nomen ab oris
Insula, Vandalicas admisit prima carinas.
Hinc loca, quot Lygurum, decus immortale, Columbus:
Americus quotquot de sanguine cretus Etrusco
Eruit, Occiduis nomen qui præstitit Indis:
Per freta detexit quicquid non cognita duri
Ira Magallani Thetidis compendia nacti,
Lustravere Rates, non uno flamine ductæ,
Sidere non uno, nec tractu gurgitis uno.
Terruerant primò gentes vexilla repostas
Gotica, & Hesperius trepidavit miles ad alnos
Arcturi; infensos namque huc quoque Fama Triones
Sparserat Austriacis, & vulnera magna patebant
Martis Hyperborei. Sed nil hostile parantes
Abstinuit probibere rates; namque inclyta Virtus,
Et nomen, Christina, tuum, semperque perosa
Gens invicta dolos, pacem sperare jubebant,
Insontesque aditus: sive ad commercia Classis
Iret: ab adversis seu cursu excussa procellis
Erraret pelago, littusque invita subiret.
Ergo peregrinas succedere portubus ultrò
Invitant puppes, longisque erroribus ægras

Instau-

Instaurare trabes, & se reparare labori.
Fluctibus obvertunt proras, facilesque Juventus
Emicat in terras, gratesque excepta perennes
Concipit, & memores æterna in tempora mentes
Testatur, jungitque manus, & tecta frequentat
Hospita, & intento percurrit singula visu.
Miratur prolem ambiguam, commixtaque gentis
Semina, non ullum sat consensura per ævum,
Et nova tot variis animantia bruta figuris:
Aurifluosque amnes discit, montesque feraces
Argenti, & Casias, & Sylvas stirpis odoræ,
Cinnamaque, & dulci distentas nectare messes,
Ignivomosque apices, & biantia culmina flammas.
Littora devexæ postquam Telluris in Arcton
Explorata satis (longis nam tractibus inde
Funditur in Boream) converso tramite fluctus
Flectitur in lævos, propiùsque inclinat in Austrum,
Contentâque fugâ Cillin perlustrat, & æquor
Parciùs infensum ratibus, Cancroque propinquat:
Peruviosque legit portus, Terrasque beatas
Ramentis niveis, & venâ divitis auri.

Sensit Amazoniæ postquam Regina catervæ
Arctoos venisse Viros, rata Classibus jsdem
Affore Christinam, cujus jam fama replerat
Regna securigeræ, suspensaque pectora Pubis:
Agminibus lætis Argentea flumina liquit;
(Gentis ubi sedes) nimboque invecta volucri
Flagitat affatus, & dextræ jungere dextram,
Inque fidem recipi. sed mox, ut novit inanem
Rumorem adventus, deceptis irrita votis
Tristis adoratis vertit vestigia Signis
In Patriam; non ante tamen, quàm fœdere jungi
Oraret, Dominæque ultro submitteret arcus,

Mune-

Muneraque offerret vittas, filicumque bipennes,
Et sceptrum obsequii monumentum, & pignus amoris.
Hinc per inæqualis fusi dispendia tractus
Circuitu immenso campos subière patentes
Tethyos Australis, dubium quà dividit Orbem
Linea, quæ pariter Lites, & Sceptra diremit;
Longiùs ablatas cùm jam non duceret alnos
Arctos; ab opposito sed Crux se proderet Axe.
Inde iter obliquum per tot divortia magni
Rursus adorta maris, Zephyroque impulsa per Eurum
Fessa Moluccarum bibulas se Classis ad oras
Applicat, & tantæ vestigat nomina famæ.
Non messis, fruticisve potens, non pinguis olivi
Terra ferax, lætumve jugum baccante corymbo.
Quidquid habet succi, plantas expendit in illas,
Morsu, & odorato torquent quæ guttura sensu;
Cætera defectis Tellus expirat arenis.
Illius ad raptus Helenes hac dote superbæ
Se tamen Europæ latè erexere Potentes;
Certatumque diu: nec se lis tanta, furorque
Composuit; nec finis erit, sitis improba donec
Durabit lucri, Tellus nec fessa negabit
Sufficere insanæ nocitura in pabula mensæ.
Proh pudor! haud citiùs subiit novus Orbis habenas
Alterius Partis, victum quàm nosceret hostem
Luxuriâ. & genti puduit cessisse minori.
Anne parum fuerat flavi tanto igne metalli
Arsisse Europam, tanto hoc quæsisse tumultu:
Ut, non Imperii mittendi latiùs ausu,
Numinis aut veri monstrandi, aut gentis amore
Ducendæ in cultus, tantum maris æquor adorta;
Sed furiis Auri, turpique cupidine rapta,
Dicatur patrii necquidquam transfuga mundi?

Non

Non impune tamen; nam longa piacula mentis
Insanæ exolvit, bellisque, & fluctibus hausta
Pauperior vanos luget defecta labores.
Sola nec admissi pœnas Astrea reposcit;
Ipsa etiam vetitos ulta est Natura recessus,
Deprensosque sinus, justasque exarsit in iras.
Inde peregrinam depascitur ulcere gentem
Dira lues Veneris, dulcique invecta veneno
Corrumpit fœdo discordia semina morbo:
Et, quasi non fuerit sat mulctavisse Nocentes,
Perstat, & insontes carpit rediviva Nepotes.
Laudis, & Imperii quòd si ostentata cupido,
Astur ut in mersis etiam claresceret Indis,
Impulit in seras Tartessia carbasa terras,
Cur non magnanimis diros Lestrygonas ausis
Arripuit, dextrasque suas expendit in illos
Hesperia armipotens, lustratisque expulit oris?
Et nunc illa lues latè dominatur, & escis
Vescitur humanis, hostique est una timori
Externo: nec festa semel convivia nostris
Artubus instaurat, nostroque cruore redundat.
Si propter fulvum patriis de sedibus aurum
Migrandum fuerat: monstro quò longiùs esset,
Ire procul decuit, veterique excedere mundo.
Nam neque nos inter massæ fœtura nocentis
Rara adeò, exemplis ut non suffecerit olim
Sæpiùs invectæ sua per contagia Pestis.
Non id vertendo reditura in pabula glebas:
Non tecta, atque urbes tollendo, & corpora bello
Obvia vulneribus vallando, aut abiete sectâ
Utile texendo justa in commercia puppes;
Sed vano fulgore nitens, specieque dolosâ
Perstringens oculos, & dux in devia raptis.

Scili-

Scilicet Heroum genitrix ut pulsa recessit
Paupertas: capimur falsis, veroque relicto
Ducimur in præceps, tenebrasque, & crimen amamus.
Una salus fuerat cæcas sectantibus umbras
Christinæ radiis lustrari. Hac auspice quisquam
Sanguine quæsitas, & partas crimine prædas
Dignari poterat? quando Hanc non una, manuque
Aucta suâ intactæ primævo in flore juventæ
Crescentes inter laurus hoc pectore, & ore,
Quo caperent alii, largiri Regna videret?
Hìc socias reperere Rates, quas tramite secto
Impulit in varium jussi discordia cursus;
Sed mox Pontus iter, mutataque traxit in unum
Tempestas, agmenque iterum commisit amicum.
Dexter in Occiduos namque hos dum pellit Eoos
Eurus, & ignotis hinc, inde ostentat arenis:
Portio par Classis ventis provecta sinistris
Funditur in lævam, terrisque repulsa Libyssis
Trans Mauros, Arabasque fugit: vix ostia Rubræ
Tethyos, & Persæ vix ostia Tethyos haurit,
Luminibus dubiis, & caligantibus undâ
Præcipiti, & flatus Zephyro integrante volucres.
Littora jam Tattæ prætervolat invia cæcis
Syrtibus, & tandem veris allabitur Indis.
Substitit hîc Zephyrus nautis impensus; & oram,
Dat, Goa, quam celebras, puppesque expectat in alto
Ulteriùs vires dispensaturus in Ortum.
Hìc mora parva Viris; sed non tamen antè recedunt,
Quàm Lusitanæ cognorint inclyta gentis
Imperia obstructæ quondam dominantis Erytbræ,
Invictisque animis Armusia sceptra tenentis,
Sumatram, geminamque Javan, meritumque beata
Nomina Zillanum, atque infra Gangis, & ultrà

 Ostia,

Ostia, non unas tendentis Jura per oras.
Lusya nam Virtus Libyæ post extima Regna
Sensim capta manu, pronoque sub Axe Brasylj
Deprensos tractus, ductore, atque auspice Gammâ
Objcis immensi divortia vicit, & expes
Caput Bonæ Spei. *Eluctata Caput, latè se fudit in Eurum:*
Ac Ducibus confisa suis, quos nulla tacebunt
Secula, littoreos frenis compescuit Indos,
Oceanumque diu tenuit, nautasque coegit
Non nisi permissis Tethyn celebrare carinis.
Illius in prædas sed mox venere Batâvi,
Anglorumque Rates; atque hinc res visa referri
Lusyadum cepta est tantis seu classibus impar:
Seu vis illa prior tractu jam deside victa
Substitit, atque animos posuit mollita superbos.
His adeò visis, iterum vada salsa capescunt,
Carbasaque intendunt Orientis in ultima primi.
Nec mora, nec requies, Synarum littora donec
Per varias acti diversi gurgitis undas
Clausa Peregrinis perlustrent alite cursu,
Suspiciantque procul Gentis decora alta potentis,
Per quam tanta Typis facta est accessio messis
Palladiæ, quantum nuper maris æquor adortis
Addidit undarum reserati janua magni
Oceani: Invento quo non preciosius aurum,
Nec, quidquid tellure micat, vel candit in alto
Gurgite; nam laxis malè credita Grammata chartis
Impensâ ingenti, calamoque inducta moranti,
Sæpe labor, longusque oculis dubitantibus error:
Artifici nunc certa metro, specieque decorâ
Exsultant, spernuntque minas revolubilis ævi
Æmula Phœnicis, vitamque à funere sumunt
Rursus, & haud unâ constant reparata juventâ.

Solerti

Solerti atque utinam fieri contenta fuisset
Hactenùs ingenio celebris, pacique litare
Fertilis heu! nimiùm Gens, & fœcunda reperti:
Palladis alterius nec se intendisset in artem
Fulmina nos inter commenta, atque orsa Tonantis:
Dedecus unde Armis, atque ingens auctio Mortis,
Virtutique locus sinceræ demptus, & igne
Haustæ Urbes, fumoque latens, & sulphure Mavors
Sordidus, & justâ cariturus laude triumphi.
Scilicet Humanæ tanta est audacia mentis
Ambitione furens, ut vel per crimina poscat
Tendi, & ab incensis etiam clarescere Templis.
Japponiam mox Classis adit; sed cauta cruentis
Longiùs abscedit populis, littusque redundans
Sanguine Christiadùm, & Gentem execratur ab alto.
Inde Philippæo celebratas nomine terras
Arripit, & varii post longa volumina flexus
Austri Regna subit; tandemque allapsa Moluccis,
Assequitur socios, puppesque reducit in unum.
Huc prior appulerat medium permensa profundum
Tertia pars Classis; nam per directa citatam
Impulerat Boreas, portuque excluserat omni
Jussus in obliquum mox se convertere cursum.
Itur in amplexus: discunt alterna vicissim
Prælia ventorum, lætique errore fruuntur
Pontivago; nimijque juvat meminisse pericli:
Regnaque dinumerant peragrata, & prorsus ab Arcto
Divisos tractus, alioque in Cardine Gentes.
Sed, quamvis Phœbi limes patuisset utrinque
Aut his, aut illis: quamvis Thitonia Conjux
In thalamis deprensa suis hos viderit: illis
Merserit Occiduos nusquam Sol gurgite currus:
Nulla fuit Tellus, cui non, Christina, pateres,

Nullaque Gustaidem quæ non præceperit ora,
Alternumque decus cultu florentis, & armis.
Erectæ hinc Gentes: hinc te per vota petebant
Excipere Indicolæ, frenumque subire beatum.
Quosque triumphando plausus habuere subacti
Gangis, & Auroræ meliora in jura redactæ
Liber, & Alcides: Solis per limen utrunque
Olim expectatam talis Te pompa manebat.
Christina etiam Alexandra appellata. *Nam nec Alexander, Nini nec martia Conjux*
Par tibi visa satis: Teque bis non junxit Eous,
Quamvis alterius nomen, sexumque teneres
Alterius, Victorque Indum pacasset uterque;
Sobria nam semper, semperque intacta, nec ullo
Crimine deformis, lapsuque immunis ab omni.
Hæc læti recolunt Socii: rursumque vagari
Optandus, gratusque labor: cupidisque placeret
Eruere, Oceanus quicquid circumfluus ambit;
Sed Dominæ imperium Maurusia Regna jubentis
Arripere immensos prohibebat tendere cursus
Longiùs, atque operum oblitos per singula ferri.
Hîc, dum vela Gyas lustrat, pinusque recenset,
Deprendit procul esse duas, sociosque reposcit
Pectore sollicito, quamvis confidat in unum
Postmodò venturas; nec spem Fortuna fefellit.
Ergo iter intendunt, gavisaque robora vertunt
Littus ad Æthiopum, plaususque ad sidera tollunt.
Sic, ubi Strymoniam disjecit in Æthere nubem
Turbo rapax tepidi quærentem Cardinis auras:
In diversa fugit cuneis pereuntibus agmen,
Et vaga per varios jactatur Littera tractus:
Mox, cùm pacati tempestas turbida Cœli
Cessit, & optati constat pax certa sereni,
Instaurat sublimis iter, sociisque reversis.

Instrui-

Instruitur collecta cohors, sectosque volatus
Læta reorditur, placidisque advertitur oris.
At geminas puppes, sociâ quas Classe diremptas
Questus erat Rector, nec prævia vela secutas,
Cura Poli propior meliora in fata vocabat.
Erminus alterius vector: ratis altera Bergam
Vectabat; paribusque ambos Fortuna regebat
Auspiciis, medioque mari tranquilla parabat
Littora, & immunes à tempestate receptus
Non unâ. Nec vana fides; namque hospitis oræ
Appulsus, Sceptrumque dedit, potioraque Regnis
Fœdera Connubii, Gentemque & nobile Nomen.
Non Hos turbo rapax, non hos maris ira furentis
Terruerant; nam nullus amor superesse, relictâ
Cum spe conjugii quando spes pulsa salutis
Fecerat optandum quocunque abrumpere vitam
Implacidam fato, diramque evadere pestem.
Hinc, ubi Maurorum luctata est Classis in undis
Transmissura vadum, vel; cùm renovata laborem
Instauravit hyems: nullum crescente periclo
Tentarunt lenti effugium tot casibus ante
Frustra exploratum, venturaque fata manebant
Immoti, atque aliis olim sub fluctibus hausti.
Quin neque, cùm Classis geminis erepta periclis
Agmine partito tantum est revoluta per æquor,
Ægra favor Superùm permulsit corda; nec ulla
Suspendit curas species peregrina latentes.
Ergo opis expertes Boreas ducebat in Austrum
Flamine directo: medio pulcherrima ponto
Insula cùm visa est properanti occurrere Classi.
Advertere oculos læta ad spectacula Nautæ.
Pertæsos pelagi, longisque erroribus ægros,
Admotamque magis plausu majore salutant.

Hunc

Hunc tepor, & modicus Sol afficit: ille serenum
Nube probat nullâ temeratum: suspicit ille
Desuper objectos & fructu, & flore comantes
Arboreos fœtus, & olentes cinnama sylvas.
Diversos diversa trahunt. Vox omnibus una est:
Quid sinus, & saltus, porrectaque fertilis alvi
Area? quid saturæ valles, fontesque, lacusque
Fluminaque; externæ si par est intima formæ
Gratia? Perpetuo sed cur riget abdita vallo?
Quis locus? Elysii numquid Domus illa beati,
Felicesque piis sepostæ Manibus umbræ?
Hæc Nautæ, fluctusque secant; sed flexa retrorsum
Ora tenent; ventisque animo properantibus obstant.
Altiùs at geminos species intravit Amantes
Pulchra; nec in solis hæserunt plausibus oræ
Ridentis. Votumque fuit par protinus ipsam
Arripere, & reflui contemnere gurgitis æstum
Forte revertentis, nullosque audire timores.
Nec mora consiliis: alterque, atque alter in undas.
Erminus invisam nam jam perferre salutem
Impatiens, tantisque diu superesse periclis
Non intellecto se jecit in æquora saltu.
Mens eadem Bergam, nec segnior impulit ausus
Tradere se ponto, cautesque tenere propinquas.
Nam, seu vicinis allabi portubus oræ
Præruptæ Fortuna daret, littusque subire:
Gratum erat in solis vitam consumere lustris,
Occultasque faces, gemitusque efferre latentes,
Et longas satiare moras. Sin rupibus altis
Illidi, aut vasto fuerat fatale profundo
Sorberi: sævis levior sors ignibus omnis,
Et mors perpetuo potior quæcunque tumultu.
Sed non tam parcè miseris Fortuna favebat,

Exitus

Exitus ut docuit. Mittendi corpus in undas
Illa pares ausus parti suggessit utrique:
Illa oculos aliò sociorum vertit, opemque
Abstulit ingratam: pictis de puppibus illa
Præcipites leni deduxit in æquora lapsu,
Supposuitque manus, & fluctus stravit biantes:
Repperit ipsa vadum, quà se porrecta per Austrum
Inclinat rupes, ripæque immisit apertæ
Depositum, larvasque oculis utrinque removit,
Sincerosque dedit vultus, atque oribus ora
Objecit; non ante tamen, quàm tuta tenerent
Littora; ne subito vis intercepta tumultu
Proderet attonitos. Namque haud experta per æstum
Brachia dum jactant, & littora longiùs absunt:
Alter in alterius complexum cominùs actus,
Incidit imprudens, correptosque alligat artus,
Auxiliumque tenet, vicinaque fata moratur;
Admovit Fortuna manus, nexusque nocentes
Leniter incessens, tutæ commisit arenæ
Implicitos. Bibulâ postquam tellure recepti
Excessere mari, seque exolvere vicissim
Nexibus, & pariter longis obtutibus ægros
Tentavere oculos; medii caligo timoris
Juvit, ne trepidos notæ ad spectacula formæ
Haurirent animos inopini gaudia casus:
Hæseruntque diu, nec fati in prospera versi
Admisere fidem, certumque habuere favorem.
Hinc rubor, atque illinc; mox pallor, rursus ab igne
Suffusi vultus, aliique in pectore fluctus.
Erminus inde prior, postquam collecta recepit
Pectora paulatìm, sic est aggressus amantem.
Tantum de Superis fas est sperare? nec ultrà
Invida fata premunt? an me jam morte peractâ

Regna ſepulta tenent , & imagine ludor amata?
At , ſeu jam manes , umbræque erramus inanes ,
Stamina ſeu reſtant , & durat vita ſuperſtes:
Permittiſne coli , tandemque exuta rigorem
Reſpicis orantem , longumque admittis amorem?
An repetenda fuga eſt , iterumque redimus in undas?
Sed neque naufragium per tot vetuiſſe pericla ,
Et procul à patriis ablatum ſedibus unà
Huc carum vexiſſe caput , Bergamque dediſſe ,
Numinis eſt duri , ſortemque urgentis iniquam.
Tu ſuperes placanda mihi . Jam Numina primas
Mutavere vices , atque invertere tenorem.
Forſitan (& noſtræ pateat ſi ſtirpis Origo ,
Nos quoque nam Regum ſanguis) non arguar impar
Ambitis , Regina , thoris .. Fiducia genti
Nulla tamen nobis ; ſed tantum poſcimus uni
Hanc animam debere Tibi . Tu Regna , Genuſque ,
Unica votorum Tu ſpes , & ſumma meorum.
Si quicquam meriti temerarius arroget auſus ,
Arroget à ſolo , longoque inſiſtat amori.
Scilicet à teneris tibi nos devovimus annis:
Prævenitque oculos mens dedita , & arſimus igne
Oris inaſpecti . Nec ſolùm fama decoris
Me Tibi devinxit , ſed vis invicta , vigorque
Martius , atque uni toto ceſſurus in orbe
Chriſtinæ ; in numero quando Hæc cenſenda Deorum.
Nam neque me tetigit ditionis cura paternæ ,
Hæſuramque Tibi ſceptrum : nec , littore in iſto
Te mihi ſi indulges , quicquam ſupereſſe relictum
Indorum in terris , aut noſtris rebor in oris.
Non fuit in nobis tanto pugnare furori.
Obniti inceptis , venienti occurrere flammæ ,
Ille Deus vetuit , vetuit qui poſſe mederi.

Terre-

Terreri poteram, generi quod dura virili
Esse ferebaris, tædasque perosa maritas.
Id fuit in causâ, cur cresceret ignis, & ipso
Hoc, quòd non ulli prædelibata venires,
Altiùs ardebam, fatoque instante trahebar.
Nam, neque perpetuò vis duratura rigoris
Visa, nec ex æquò crimen commune piandum
Et mihi sperabam, si culpa, & labe carerem.
At, de me statuat quicquid fortuna, placebit.
Nam, si me thalamis dignaris flexa beatis:
Jam nunc plura tuli, quàm quæ daret Indus uterque.
Sin prior urget hyems, nec præbent fata recursus:
Proderit extremæ saltem sub tempora vitæ
Te semel affatum, causam evoluisse propinquæ
Mortis, & hanc mecum veniam mox ferre sub umbras.
Dixerat, & lacrymæ commendavere precantem;
Motaque, proposito nec jam par Berga priori
Vincimur, exclamat; sed non modò vincimur: olim
Succubui fatis. Non hæc victoria primùm,
Ermine, parta Tibi, frustraque Cupidinis armis
Restitimus; forsanque pares præcepimus æstus.
Quanta sed obstiterit nutanti Causa pudori,
Colligere inde potes, quòd me quoque traxit in æquor
Par furor, & cæcis pelagi jactarier undis
Maluimus, longas animi quàm ferre procellas.
Nec serò ignosces, dubiam Christina morari
Si potuit, justusque timor suppressit amorem.
Sed neque tu nobis veniam poscendus, at Illa,
Auspice quâ nimios concepi debilis ausus
Æmula gesta petens, & non imitabile robur
Mente sequi imparili, nec respondente labori.
Me tamen haud tantum retro cessisse pudebit,
Illuc eniti quantum tentasse decebit,

O Una

Una tenet ſociis, quò ſe Chriſtina, repulſis.
At neque Tu parcè culpam, caſumque levabis,
Quòd non majori poteram mercede referri:
Nec priùs optandi deſcendo in fœdera vincli,
Quàm toto luſtrata mari, toto orbe redempta
A lapſu, Superiſque palàm probibentibus uſquam
Poſſe mori, nuſquam paſſis procul eſſe furoris
Materiam; fatis ut jam pugnare vetemur
Cominùs admotis, & ſit conſtantia crimen.
O' utinam, norit cùm me Regina jugatam,
Norit & bos caſus, culpamque in fata releget!
Hæc ait, & merito dextram permiſit Amanti:
Primaque perpetuos bilaris conſenſit in ignes.

Interea fidos præſtent dum tecta receptus,
Et ſacer accedat juſtas Hymenæus ad aras,
Scire libet, quorum Fortuna advexerit oris
Fluctibus ereptos, quos nutriat Inſula mores.
Alter in alterius nam dum ſe vultibus implet,
Declinare ſolo viſus, terræque vacare
Neglexit; ſpecies ſed mox tam pulcbra tuentes
Traxit, ut alterius vel poſt ſpectacula formæ
Cuilibet obverſos parti ſuſpenderet ambos.

Omne latus vivo circumdant aggere rupes,
Excluduntque aditus: inſultanteſque procellas
Deſpicit ex alto Tellus, atque imperat undis.
Ambitus erectæ tantum ſe porrigit oræ,
Area circuitus protendit quanta Sicanos.
Bis duo per medios incedunt flumina campos;
Oſtia ſed claudunt Sylvæ, lapſuque reducto
Nais in Oceanum condit ſe dulcis amarum.
Neve ſinus poſſint puppes intrare repoſtos,
Flexilis objcitur cautes, ſpaciumque relinquit,
Per quod inexpertæ metuant intrare carinæ,

Auſpi-

Auspice sublato, refugæque accedere ripæ.
Aurea ridentis constat clementia Cœli:
Non æstu nimio, nimio nec frigore læsa
Temperie fruitur: secto nec vertitur anno
In quatuor partita vices. Discernitur ipsi
Circulus, & vario distinguit munere Soles.
Semper habet flores, fructus fœcunda recentes
Semper habet, veterique novus succedit, & hæret.
Fœtus; & imparilis constat par gratia partus.
Hic tumet in clivum, modicam submittitur illic
In vallem. Pars nulla vacat, non angulus ullus
Dote caret pulchrâ; nam vis materna frequentes
Ejaculatur aquas, & fontibus irrigat arva:
Vitalesque trahit venas. Hac parte comantes
Elevat arboreos fœtus non cortice nigros,
Robore non curvo turpes, umbrâve nocenti
Infames, sed fronde simul, truncoque decoros,
Hospitibusque patent, & præstant tecta canoris;
Ominis infausti sed non admittitur ales.
Omnis, odoriferæ quæ læta est laudis honore,
Et, quæcunque dapes componit, & instruit arbos;
Palmaque Palmarum princeps, quæ sufficit una,
Multa petens hominum quicquid desiderat usus,
Sive colat terram, terræ seu præferat æquor,
Majores hîc pandit opes, atque explicat umbras.
Per nemora exsultant Lepores, Capreæque, gregesque
Damarum: longè Tigres, iræque Leonum,
Atque Ursi informes, & quicquid denique sævis
Unguibus invehitur, rabido vel dente minatur,
Transmissove nocens inspirat fata veneno.
Vitreus in medio liquidarum campus aquarum
Porrigitur; nitidoque lacu, ceu fonte perenni
Amnibus hinc, illinc terris alimenta daturis

Pabula dispensat largè, viresque ministrat.
Fœnore respondet margo, limboque virenti
Circuit altrices, & circumplectitur undas.
Intus Piscis hebet, nec caudę plausibus altas
Concitus urget aquas; fundo sed prodit ab imo
Arduus in flores, & ripæ proximus hæret:
Pulchriùs in pictos ubi se Ver pandit honores.
Huc coit unda frequens, huc cœtu Nais amico
Ingruit, & facto concurrunt agmine Lymphę:
Mox discessurę in rivos, amnesque futurę,
Segniùs evadunt, certantque exire secundę.
Haud secùs, hybernâ Boreas cùm surgit ab Arcto
Riphéâ de Rupe trahens, hyemesque, nivesque:
Flumina consistunt, & pigrâ compede vincti
Cunctantur, lentique negant procedere fontes.
Fluctibus his meliùs posset Galatęa lavari:
Gratiùs his blandę canerent Syrenes in undis:
Dulciùs hîc queruli plorarent funera Cycni.
At, licèt in tantâ telluris dote beatę,
Obvia gens nulla, atque hominum vestigia nulla.
Unda rates nescit, nescitque intactus aratrum
Campus; & omnis abest versantis rura laboris
Indicium. Non Sylva casas, non culmina villas,
Ostia non Urbes, nec norunt oppida portus.
Non tamen in vacuâ subiit cultoribus orâ
Despondere animos; nam nulla injuria Cœli
Temperie in tantà, telluris in ubere tanto
Nulla timenda fames. Pruna undique, & undique fraga,
Et calami dulces, & nectare canna redundans,
Milleque pomorum species. sed totus in ipsis,
Quem poscat luxus, nedum natura, paratus.
Ergo, ubi successit Phœbo nox prima peracto,
Communem subiere thorum sub tegmine vivo

Cedrorum ſtellis interpellantibus umbras
Luce verecundâ, tędaſque imitantibus igne.
Et tamen, emerito quamvis non pugnet amori,
Tunc quoque Parrhaſio ſe Berga avertit ab axe.
Ducite Neſtoreos animis concordibus annos
Par fœlix. En parta quies tam dulcis, & expers
Curarum, nullis ut jam procedere votis
Ulteriùs reſtet. Sed non hęc ſumma favoris
Viſa ſatis Superis. Reges Vos, proſpera, Reges
Hic etiam fortuna creat. Novus incipit ordo
Fatorum. Quodcunque patet telluris, & undæ,
Vos manet; inque eadem conſurgent jura Nepotes.
Sola nec incultos ornet quòd gratia tractus,
Effuſamque plagam, campoſque hinc inde patentes
Erudiat nullus, nullus domet arva colonus,
Sit minus hinc glebæ pretium. Fœcunda, feraxque
Se vobis ſervabat humus, dotemque tenebat.
Frugiferas quodcunque pecus colit utile terras:
Armentum, quodcunque juvat, vel ditat Agreſtes,
Mox dabit alma Parens. Iterum ſi feſſa negabit
Ordiri Natura Greges. Hos Fata ciebunt
Finibus à noſtris. Aderunt; Superùmque ſecuta
Imperium lentos imitabitur ungula remos.
Invenient doctæque manus, venterque colendi
Inſtrumenta ſoli. Terram ſubmittet aratrum,
Falx ſegetes, pinus, & robora dura bipennis.
Interea faciles præbebunt pabula Divi.
Sylva feras, piſces ſubmittet littus in eſcas,
Poma dabunt rami, lucentes pocula rivi.
Una maris moles poterat nocuiſſe videri,
Et veſtrum preſſiſſe decus; ſed Numen amicum
Non feret, & latè puppes penetrare docebit,
Voſque retro patuiſſe dabit, nomenque ſuperbum

Efferet

Efferet in gentes, cunctisque loquetur in oris.
Nec, quòd in opposito Solium vos mansit in Orbe:
Nota minus sint dona Deûm, gratesve malignè
Solvite. Consuluit regno Fortuna parato,
Quòd malè damnatæ metuens contagia partis
Immensis hoc clausit aquis. Nos bella, furorque
Exagitant, densumque nefas, diroque veneno
Infecti, nigrique dies: ibi prima renident
Secula, & innocuis respondet moribus aurum;
Unaque Christinæ Tellus non indiga cultus;
Sed non Christinæ pariter caritura favore.



LIBRI

LIBRI QUINTI


ARGUMENTUM.



Ncipitem Chriſtinam, nec ſatis de Regno deſerendo cum Cœlo conventuram Virtus in ſomnijs conſulta ſolatur, & confirmat, juſtique Regiminis præcepta demonſtrat. Proximiùs inſtantia bella meditantem ſubit Differentia inter priſcam, & noſtrorum temporum à ſincerâ præliorum methodo penitùs abhorrentium Militiam: quo diſcrimine offenſa hæret ab incæpto. Cur ſe expediverit, & propoſito inſtiterit. Jam jam conſcenſuræ Oxterna præcipui Vir nominis & experientiæ ſe prætendit, celebri illâ, & adhuc indecisâ Quæſtione objectâ: Præſtet ne Reges bella per ſe gerere, an Vicarios ſufficere; quam partem præligendam contendit, periculis, quibus Ipſa præ cæteris ſummis Capitibus obnoxia eſſet, oſtentatis. Cui Regina ita ſatisfacit, ut de ſententiâ decederet, & Dominam inter primos ad conſcenſum deduceret. Claſſis ad Germaniæ

niæ oras appulſus. Domus Auſtriacæ Septentrionalis ſub Ferdinando II. Imperatore Cataſtrophe, & ejuſdem ſub Ferdinando III. ipſius filio, pariterque Imperatore lætior ſtatus, & vis auctior. Veterani Gotorum Exercitus Stettini hyberna habentis fides non firma, & Tyro ab eodem ad proſperorum ſucceſſuum diffidentiam tentatus. Regina alterius partis inſidias, alterius ſollicitudinem odorata, concionem advocat, atque ibi de ſe, de Hoſte, deque utriuſque viribus, & belli gerundi ratione tam magno, & certo diſſerit animo, ut ſpes, quæ reſederat, pleniùs excitaretur. Apparitio Germaniæ ſuas opes, & Incolas Chriſtinæ offerentis. Hinc ſontium conſternatio, & ſupplicium: Mox exercituum luſtratio, & militaris diſciplinæ ſeverior exactio: Poſtremò Chriſtinæ in Gotiam reditus, quo gliſcentes compeſcuit turbas, atque inde in Caſtra recurſus tantâ celeritate abſoluti, ut utrìnque ex illò nunquam non præſens haberetur.

LIBER QUINTUS.



O Sator Humanæ, primique in labe Parentis
Everſæ Aſſertor Gentis, qui Sidera torques,
Qui Fatum, Sortemque premis, nulloque labore
Cuncta creas, tutaris, alis, largiris, & ornas:
Quàm præſens, quàm multa fuit Tibi cura ſalutis
Virginis Arctoæ! Quàm Te per ſingula ſenſit
Undique, ubique Patrem! Tu nuncia juſſa per auras
Miſiſti incertæ curſus: Tu cæca vagantem
Per luſtra ad Myſtam duxiſti, atque illius ore
Prendere res fluxas docuiſti, & fidere Cœlo.
Audiit hæc vigilans. Sed nec ſopor ipſe ſupernæ
Expers ceſſit opis; namque huc quoque dirigis anceps
Conſilium, tenebraſque aperis, atque inſtruis umbras.
Ex quò Sylvicolâ tenuit monſtrante caducas
Spes Regum in nimiùm fuſas, ſuſpectaque prìdem
Inſpexit propiùs vafri commenta Magiſtri;
Nulla animo requies. Dimotos mente receſſus
Itque, reditque frequens: Myſtam compellat, & audit
Aulai in ſtrepitu, medioque in turbine rerum.
Quin, quoque compoſuit cùm nox provecta labores
Terrigenùm; monitus Vox ſacra inculcat eoſdem:
Supremique obitus, triſtiſque recurſat imago
Judicis, & variæ mulcta hinc, hinc præmia partis.
Illa quìdem meliora videt, refugitque reverti
In primos revoluta dolos, & Vatis adhæret
Admonitis conſtans, patriumque affectat Olympum;
Terrenæ ſed laudis amor, Sortiſque ſuperbæ
Dediſcendus honos, & ſpes ponenda triumphi,

Cœpta morabatur, luctâque tenebat in altâ
Diductum pectus, casumque minantia corda.
Usque adeò Laurus, pellexque insederat Aulæ
Regnatæ ambitio, mentique offuderat umbras.
Nocte sub extremâ sed dum semel ista retractat
Penè vigil: sensim species se talis anhelæ
Obtulit, atque animum pulchrè est solata labantem.
Mons erat aerio sublatus in Æthera clivo,
Cujus in extremo Fani radiantis ab auro
Ulteriùs surgebat apex. Latus omne secabat
Arcta per anfractus, & iniquas semita rupes.
Hoc iter ingressam tunc se Christina videre
Visa fuit, tantoque jugum tenuisse labore;
Compositæ quamvis ut frons sudore maderet;
Obvia quem Virtus patefacto in limine Templi
Tersit, & amplexu vires, animumque refecit.
Tunc sic orsa loqui, causamque efferre viarum:
Ex quò Te nobis dignata es, Diva, fateri
Præmissis radiis tenero pubentis ab ævo,
(Fido equidem) satis ipsa tenes, quo ardore sequamur
Numen, iterque tuum. Dubio te lumine primùm
Hausimus; inque dies adolevit cultus, amorque;
Crescentis quantùm se protulit ordo juventæ.
Et nunc haud alio mens est intendere gressus
Auspice; sed reliqui certum est hîc ponere, quicquid
Staminis indulget Lachesis, nec retro relabi.
Verùm iter implere incœptum, metamque tenere,
Grande nimis pretium; Regni si sorte carendum,
(Namque hoc indictum) sceptrisque est Laurus emenda.
Hoc metuens (quando inde vigor, mensque ægra fatiscit
Propelli solio impatiens, & ponere vittas)
Ad te confugio, duras evadere leges
Ut liceat; decoris nec sit tibi, Diva, minoris;

Si, non juris Inops, ſed te Regina ſequatur.
Non tulit Heroum Genetrix tam juſta rogantem
Ulteriùs proferre preces; ſed amantibus ulnis
Implicuit: propiùſque parem mirata, parumper
Hæſit in obtutu; mox læto hæc reddidit ore:
Pulchros pone metus, noſtræ Dos prima Catervæ,
Altaque degenerem dediſcant pectora curam.
Ipſa licèt poſcas regnis caruiſſe; repulſam
(Certa fides) invita feres. Fortuna recedat
Quin quoque ſi Solii Natalis: ſceptra redirent
Ultrò, recuſantique aliud ſuccreſceret Oſtrum.
Hoc iter ingreſſos non eſt neſcire Tiaram;
Et privata pati. Merito diademate frontem
Cincta perennabis Regina, & maxima Regum.
Nec decus hoc, fluxi quantum finit ambitus ævi,
Conſtabit. Te certa manent, carituraque fine
Imperia; inque ipſis etiam dominaberis Aſtris.
Tu modò perge libens, clivi quà ſemita ducit
Fida; nec admonitus dediſce oblita priores.
Si tamen interea, quæ te creſcentibus annis
Sæpiùs edocui non ſat deprenſa, tuoque
Nunc ſub Patre latens, nunc Regibus abdita magnis,
Audieras Cœlo quos me tollente relatos,
Percenſere ſimul collecta, animoque per ipſos
Inſertare oculos amor eſt, altèque tenere:
Perlege, quêis Paries veſtitur pulchriùs auro
Textile, vel Numidùm cruſtis, plumâve Canopi
Carmina, quę proſtant; pariturамque inſtrue mentem.
Sic ait, & Phano inducit. Legit illa magiſtros
Sceptrorum numeros, gnaroque in corde recondit
Haud nova legitimæ recoquens præcepta Tiaræ.
O', quicunque ſedes Regali in culmine Sortis
Sive ope ſubvectus: votis ſeu lectus: avito

Seu jure incedens Cognata ad ſceptra vocatus,
Pone truces animos, tumidoſque averte serenà
Mente procul faſtus, nec te circumſpice: Majus
Namque ſub imperium tua te quoque ſubdit origo
Inferior; qualemque dabis te Civibus, æquè
Experiere Jovem: menſura examinis una eſt.
Nec tibi ſat placeas, quòd te ceſſura poteſtas
Imponit reliquis; ſed, quòd virtute ſuperſtas
Ipſe tibi innitens, phaleris, & cortice dempto
Fortunæ, cenſuque tuo; meritiſque redundans:
Legibus addictus, quamvis commiſſa minorum
Fata ſupervenias lex ipſe, & regula juris.
Singula mente vigil percenſe, atque inſpice lentus
Conſilii; arreptum ſed mox contentiùs urge
Propoſiti conſtans, ſoloque in fine quieſce.
Non, qui blanditiis, & linguæ pellicis arte
Captabunt Regem; ſed, qui te cominùs ipſum
Murice convenient poſito, tecumque loquentur,
Gratus ames, & largus opes, & pectora pandas.
Arma domi ſedeant; ni pax temerata, decuſque
Pulſatum. Pulchris quòd ſi clareſcere pugnis
Gliſcit, & æternas ardet Mens fervida laurus:
Tecum bella geras; in te connitere. Nullus
Juſtiùs emerito contingit Marte triumphus,
Quàm, ſi conterimus, quos intus ſuſcitat hoſtes
In nos Maſſa parens, totoſque exerta lacertos
Illa comes Regni, vetitoque incenſa Libido.
Nec tibi ſit; lætos ſi Sors indulſerit auctus;
Tantus amor tendi, quantus radicibus actis
Altiùs infigi, firmoque increſcere trunco;
Numinis ut ſpeciem provectior induat ætas,
Longaque per meritos currant anathemata ramos.
In Superos unius perſtet conſenſus, & una

Con-

Conſpiret pietas . Flexus , divortia tollas ;
Nam dubitata Fides , nec ſat de Numine certa
Nutat & in Regem , crimenque à crimine diſcit.
Nominis , atque Animi victuri in ſecula curam
Sume parem ; nam par ſequitur cenſura potentes ,
Et miſeros , retegitque ſinus , tenebraſque reſolvit
Intima perluſtrans . Famæ hinc , Nemeſiſque ſupremæ
Examen duplex . Hæc vivos , illa peractos
Excutit , & penſat ; graviùs ſed Regibus inſtat.
Ocia proſcribas : Artes , Commercia tendas ,
Et geminæ ſtudiis Pubem ſuccende Minervæ ;
Sitque voluptatum nullarum ſola voluptas ;
Exemplarque tui propone , & poſce referri.
Nec prodant vel blanda levem , vel dura jacentem :
Perque vices juſtas pro re mitemque , gravemque
Ardua temperies monſtret . Subeunte periclo
Objce te adverſis , & te tutare , tuoſque
Impiger , & creſcat Virtus congreſſa ſiniſtris .
Quòd ſi contingat non eluctabile fatum ,
Turpis & effugii via ſit ; præpone pudori
Funus , & arreptum decoret mors pulcra ſepulcrum .
Te noſce introrſum ; nam , qui ſe nẹverit , idem
Fit ſimilis , pariliſque Deo ; nec Numine quicquam
Cogitat indignum ; ſed re conſiſtit , & ore .
Hinc tegere expoſitos , & reſponſare merentis
Supplicibus votis : hinc per declive labantes
Corripere , & lætos compeſcere crimine ſontes
Mos ſubit , & certo Lanx conſtatura tenore .
Dotibus his præſtans : ut venæ divitis Aurum
Sæpius in varias quamvis transforme figuras
P. rſtat idem pretio , ſpecie nec deficit ulla :
A nuat ipſe licet , reliquis ſic eminet Heros
Perpetuò , & nuſquam Fortunæ obnoxius , imæ

Poſt

Post regimen Terræ, summis dominatur in Astris.
Hactenus inscriptus Paries; fœcunda, feraxque
Consilii namque inde seges, complexaque justi
Congeriem latè Sceptri. Nec longiùs hæsit
Mira oculis species: Luxque orta, & somnus abactus.
Plenior hinc animis, & imagine mancipe Sceptri
Incœptus Regina suos fidentior urget.
Collectas Acies sed dum vicina periclo
Acriùs expendit; ludosque examinat omnes
Ambiguæ sortis; paulùm cunctata resedit
Ignea vis animi. Namque olim versa subibat
Mavortis species, variumque ab origine primâ
Pugnarum ingenium, casusque licentia major
Incerti, atque altè mersa in caligine Virtus.
Auxerat hanc curam Monitor non unus, ut acris
Deferveret amor, læsusque remitteret ardor
Bellorum; quosque illecebræ, Regnique voluptas
Non poterant: hos vilis honos, & turbida laudum
Gloria damnaret stimulos, & frangeret ausus.
Consiliique auctor se clam subjecerat Orcus.
Scilicet, Heroum quisquis præfulserat armis
Temporibus priscis, animo confisus, & ense,
Degeneresque astus, fraudesque, dolosque perosus
Miserat æternam mansura in secula famam.
Nulli certa quidem, magnisque exempta periclis
Alea contigerat martis: semperque licere
Non minimùm Fortuna sibi, dum cernere dextrâ
Poscebant Reges, & causam dicere ferro:
Obtinuit. Raro, sed qui præstabat, abibat
Congressu inferior; Sortemque errare pudebat
Sæpiùs; & fortes prudens consensit in actus;
Aut minor excussa est, & vi submota recessit.
Innumeris quoties pugnam pro millibus Unus

Arripuit? Duxque ipse Ducem nudo ense reposcens,
Et circumfusis tuta ad spectacula turmis
Pace velut mediâ subiit certamen, & altam
Transegit litem populorum sanguine largo
Staturam; secuitque nefas, pacemque redemit?
Quòd si collatis placuisset viribus iram
Testari, & totis aciem miscere catervis:
Lancibus æquatis, campo digesta patenti
Tendebat Pubes, & Cœlo teste probari
Ardebat; pulchrumque mori Victoribus ipsis
Æquabat Victos, nomenque ferebat in astra.
Abditus aeriâ latitabat rarus in arce
Æmulus, & fidens muro, propiorque timori
In longùm ducebat opus, fatumque trahebat.
Arma Viris Ensis cunctis præstantior armis.
Nam, cui plus animi dederat fiducia major
Roboris experti, poscebat cominus hosti
Conseruisse manum, propiùsque incessere ludum.
Ut crevere metus: cœperunt longiùs ictus
Vibrari; & varios invenit degener usus
Telorum ingenium. Tunc tecti fraudibus ausus:
Tunc dolus in pretio: tunc casibus obruta Virtus.
Sed neque tam multæ trepidos texere latebræ;
Nam quid claustra juvant, admotaque mœnia Cœlo,
Et Thebana super ductæ miracula turres?
Vis subit interiùs, tacitoque invecta furore
Mergitur, ut surgat; versoque in bella ligone
Arcanum luctatur iter, quà nobilis ira
Tendere, mors instet quamvis vicina, recuset.
Si vetat unda viam, tellusve infida dehiscit,
Nec patitur constare gradum; tunc tramite verso
Impetus erumpit, facibusque lacessit, & ignes
Eminùs eructat. Piceo ruit imbre procella,

Man-

Mandatamque luem ſpargit per inane. Nec ullus
Incendiſſe domos, & Templa arſiſſe Deorum
Aut pudor, aut crimen; ſed vis, & fertile robur
Laudis. Abeſt Auctor ſceleris, nec mitigat auſus
Ipſe quoque expoſitus, pariterque in parte pericli,
Exutuſque hominem, ſed non diſcriminis expers:
Hoc uno triſtis, propiùs ſpectare ruinam
Quòd nequit, & gemitus audire, & cernere caſus,
Dimotumque nefas haurire, & crimine paſci.
Nec minus in pelago Chaos eſt diſtantibus armis,
Longinquoque malo graſſante, atque alite flammâ.
Scilicet haud quemquam Regum proſpectat ab aſtris
Juppiter, ignivomis quem non Salmonea nimbis
Arguat; & rutilæ jactare incendia dextræ
Miretur, vano nec jam terrere tumultu
Proxima; ſed longè pluſquam Vulcania tela,
Quà furor hortatur, jaculari: Ignemque vetuſtas
Dedidiciſſe vias, & in Æthera ſurgere Fulmen.
Ergo quis inſano cupiat clareſcere marte,
Humanumque genus ſcelerare, & perdere vires;
Si pulchrum certamen abeſt? Si viſcera terræ
Eruimus ſepti tenebris, & buſta ſubimus
Ante diem? Nullus forti committitur Hector
Pelide? Nil luce palàm; ſed nocte, nigroque
Cuncta latent fumo, craſsâque erramus in umbrâ?
Læſerat hoc Mentem nil non immune pudoris
Sumere paſſuram, penituſque à labe remotum.
Poſtmodò rem propiùs permenſa: Hoc dedecet, inquit,
Immites animos, & quos hortante furore
Per ſe bella juvant. Pacem Nos quærimus armis,
Humanumque Genus manſura in fœdera tandem
Ducere, quà patitur, ferroque, atque igne mederi.
Nec ſcelus eſt ſceleri ſuccendi, & jura fidemque
Ulciſci

Ulciſci illuſam, juſtaſque repoſcere pœnas.
Ex quò Mortales funeſta in prælia traxit
Seu confine ſolum, ſeu læſæ injuria partis:
Ira recens quicquid, quicquid rudis obtulit ætas,
Armavit nudas cæca in certamina dextras.
Fuſtibus invecta eſt acies; & ſaxa rotavit
Mars prior, & raptis præfixit cornibus haſtas.
Prodidit ut Calybem Tellus effoſſa; minari
Incœpit ferro jam vis inſtructa, nec ante
Sarcula conflavit, rutilos quàm condidit enſes.
Hic gradus in pugnas; quicquam nec liquit inauſum,
Et, quæ non novit, tantùm Gens prima pepercit.
Ventum eſt ad flammas: facta eſt acceſſio cladum
Ignis; & iratis incendia junximus armis.
Nec ſatis eſt jactare faces: conflata molares
Æra vomunt: latè flammis, & molibus urbes
Diſſiliunt, pariterque ruunt, pariterque coruſcant.
Quid tamen inſolitum? Nunquid non ignibus Aſtra
Bella gerunt? Alio nunquid periere Gigantes
Ingenio? Puduitve Jovem per tela triſulca
Ire ſcelus contrà, magnumque parare Triumphum?
Ibimus hàc Ipſæ, ferroque, atque igne ſequemur,
Quà Virtus, Mavorſque vocant; inimicaque regna
Perdemus; ni victa genu vis æmula flectat
Ocyus: atque armis imitabimur arma Tonantis.
Hæc ſecum; & dubii compſit ſe Martis imago:
Applicitæque rates, mileſque accinctus in actâ.
Sed neque tunc hoſtis ceſſavit Pluto propinquos
Claudere digreſſus, vicinaque geſta morari.
Nam diſceſſuræ cùm fruſtrà innectere caſſes
Tentaſſet Tædis, & Imagine Martis iniqui:
Fertilis in fraudes diverſo callidus aſtu
Impulit Oxternam geminas obtendere vires

Oris, & ingenii, cui curæ à Rege secundæ.
Hunc, Pater ut quondam, pleno Regina favore
Extulerat; nam summa fides, rebusque gerendis
Per Belli, Pacisque vices exercita Virtus:
Momentumque fuit Gustavi in partibus ingens,
Consilii prudens, &, cui mandaverat uni
Fatorum ignarus Natæ moderamen, & Arctos.
Ille viam nactus, secretâ in parte vacanti
Submissus Dominæ veniam præfatur, & infit:
Admotam sceptris quo Te, Regina, paternis
Suspiciam cultu, quanti Hoc reverentia pendat
Nostra Caput, videor sat jam testatus abundè,
Quòd cœptis obstare tuis, cursumque tenere
Haud unquam tulerim, quamvis obnitier orsis
Ausus, & effusum toties contra ire Parentem.
Scilicet excelsæ tanta est præstantia mentis,
Tanta dies animi, tantum se rebus in arctis
Consilium profert; ut dissentire putarim
Esse nefas, dubiosque aliò convertere cursus.
Nunc quoque lex eadem; ni me vicina monerent
Prælia, & extremis visus Gustavus in umbris
Tristis, & iratus, studio ceu læsus inerti:
Officii meminisse mei. Permitte precanti
Ancipites proferre metus; liceatque supremùm
Obverti, atque abitus interpellare propinquos.
Quò magis instat iter; minùs hòc laudare fatemur
Discessus, Regina, tuos; nec vana timoris
Causa mei. Nondum patuit, num præstet in arma
Tendere, & incertis animam committere fatis
Terrarum Dominos, & rerum frena tenentes:
An pondus mandare Duci, legataque bella
Tradere, & auspicium Capiti præstare minori.
Tu melior pensare vices, alternaque fata

Versare,

Versare, atque æquâ suspendere lance periclum.
Scilicet absentes auget reverentia Reges.
Quòque magis distat, magis hòc se tollit, & auget
Majestas. Divos sic Mens humana veretur
Eminùs elatos vix auditura propinquos.
Nec dubitare vetet, nullum tibi cernere dextrâ
Progenieve parem, cui sarcina tanta recumbat.
Sæpè animos nocuit nimios habuisse, modumque
Excessisse manu, nec quenquam nosse priorem.
Cautiùs ille subit, ratio reddenda recepti
Cui Gladii incumbit: nec freno exempta potestas.
Nempe, alto ut jaceant disjectæ in pulvere partes!
Vulnera magna quidem, salvo sed Rege mederi
Quæ valeat Mars alter, erunt. Hoc rebus adempto
Indocilem sisti redimet vis nulla ruinam.
Utque alibi victrix prudentia tractet habenas;
Cædibus in mediis, cæcique in pulvere campi
Cui sat consilium constat, nec casibus ullis
Fluctuat? impulsâ cui stant sub mole lacerti?
Ipsam etiam Laurum pulchri sub fine laboris
Inficit, & nigrâ funestat fronde Cupressus.
Atque utinam longè nobis exempla venirent,
Proxima nec tanti succurreret alea casus.
Regibus in cunctis timor hic pensandus; at inde
Major, ubi nullo reparatur germine truncus
Ultima perpessis; & stirps expirat in Unâ.
Nec, tibi quòd constas quocunque in turbine rerum
Nuda metus omnis, satis hòc secura pericli
Constabis: tanto Patriæ vinciris amore.
Hanc tua nam pariter (Divûm quod cura repellat)
Obrueret clades, unusque hauriret hiatus.
Nam, velut Æolii reserato carcere fratres
Æquora subvertunt, omnique à parte rebellant:

Sic Te ſublatâ vicinæ protinus omnes
Inſurgent Gentes , ulciſcenturque timorem,
Quem Pater incuſſit , nunc Gnata inſtaurat , & auget.
Sed , neque ſi liceat tantas evadere moles
Bellorum , partumque decus , fineſque tueri:
Hoc tua Regna volent ; nam Te pereunte perirent
Certatim Cives , omniſque fatiſceret Arctos.
Sed ceſſet pietas , & vis animoſa recuſet
Uſquam frena pati . Majeſtas una tenebit
Degeneres auſus ; nec par dignabitur impar,
Iniicietque manus . Jam nunc, quà tenditur ingens
Ambitus Europæ , ſi quis novus advena Regnis
Vectus ab externis quæ ſit Chriſtina ? requirat:
Audiat Hanc ſortis tranſgreſſam fata caducæ
Tranſcribi in Superos ; Hominemque in cortice tantùm
Proferri , atque ingens habitare in pectore Numen.
Scilicet hoc tecum pretio Germania diſcors .
Concurrat , nec tota quidem ? divinaque tela
Conſumat miles , vel Dux virtute ſecundus,
Aut genere? (occurſum nam ne ſperaveris uſquam
Cæſaris) Uſque adeò præceps, & prodigus ardor
Imparis objectus , contemptaque norma duelli?
Hoc me , dum ſtudio fervebant Aula , Parenſque
Conjugii , tantùmque Thorum , ſtirpemque ſonabant,
Continuit : precibuſque unus , Diviſque peperci;
Ne , Te dum nimiùm Terris miſcere pararem,
Detraherem Superis , atque impia vota moverem.
Ergo Jovi, qualem priſci finxere Parentes
(Regibus exemplar) cùm te celſiſſima Virtus
Eſſe parem dederit : mores imitare Tonantis.
Ille , ubi decrevit devotas plectere gentes:
Bella geri mandat , nec ſe demittit Olympo,
Sed Martem pugnare jubet , pariterque nocentes

Proſternit populos, majeſtatemque tuetur.
Prima igitur noſtri ſunt anxia vota precatus,
Ne Tibi Hyperborei ſordeſcant ocia mundi;
Et, quæ Marte Parens, &, quæ Tu mente paraſti,
His lætere bonis, nec per diſpendia curſus,
Quæ placeant, differre velis. Quòd Martius ardor
Si nequit expleri, ſopitaque bella movere
Decretum, fixumque ſedet: da viribus arma
Humanis humana geri, nec diſpare palmam
Pignore ſollicita, ſed Te, Fatumque Tuorum
Reſpice, & inſanos hominum miſerata tumultus
Crimen ab ignaris, ſacrumque averte furorem.
Hìc finem orandi, facieque obnoxius hæret
Suppliciter blandâ: ſed nil cunctata reponit
Has Regina vices; paulùmque accenſa profatur:
Par erat, ut, quando tam ſero in tempore adiſti,
Abnuerem veniam. Sed, ne videamur inanes
Conſilii, atque olim ſuſcepti in bella paratus
Mole trahi, atque æſtu non poſſe urgente referri:
Ire libet contra, decretaque noſtra tueri.
Quòd tibi, quòd Patriæ placui, magnoque Parenti,
Haud mihi ſat placeo, ſi me non jure probari
Emeriti monſtrent mediâ virtute labores.
Sed neque Se Genitor nullis me in vincla daturum
Edixit thalamis, optaturumque Nepotum
Hinc ſibi progeniem; tractu quò deſide lapſa
Suppreſſam nullo penſarem pignore Gentem.
Pondera Legatis at ſi tranſmiſſa reclinem,
Arduaque armorum patiar momenta ſedendo
Tranſigi, & incumbam ſuffectis lenta lacertis:
Sat mihi, ſat Patriæ, ſat reſpondebo Parenti.
Quæ tantùm calathis, quæ tantùm dedita plumis,
Quid daret illa minus? Pudet heu Patriæque, Patriſque,
Si

Si me tàm nullâ permittant dote placere.
Non tantum Famæ solito confidimus ori
Mentiri, quantum solidis innitimur actis
Roboris expensi. Non me gens ulla loquatur,
Quam dederit rumor, sed, quam monstraverit hostis.
Nec, mihi quòd dispar Dux congressurus in armis
Obveniet, cessare libet. Quâ parte latebit
Ille supremus Apex, illuc intendimus ensem:
Et petitur nobis quocunque in milite Cæsar.
An, si tralati jaceam certaminis expers,
Ocia concipiam? pariterque immunis ab æstu,
Ancipitique malo, thalamo si claudar inerti,
Desidiâ solvar? Non hæc mihi pectora finxit
Jupiter, aut Virtus. Quà fervet summa pericli,
Illuc mente feror; vicinaque longiùs absum.
Et, cùm digressi poteram vix arma Parentis
Aure sequi tenerâ; jam tunc, Pater inclyte, gestis
Intereram conserta tuis, & Matre carebam.
Mitiùs ergo mihi quisquis pendente ruinâ
*Consultum, car*umque volet; conamina tollet*
Objcis, & cupiet mea me tractare pericla,
Cominùs & nostri, litem cùm transiget ensis;
Admonuisse Deos, atque incussisse pudorem.
Pomerania. *Adde, quòd Hermionum Germana ad littora tractus,*
Proximus adversos ducit quà cursus in hostes,
Et brevis Arctoas limes disterminat oras,
Non minùs est nostri, tellus quàm Gotica juris.
Nec vanos compone metus. Plus aula timori,
Exermisque mihi frons est infida sereni.
Respicit audaces Mors immatura, timetque
Criminis invidiam, meritisque in sæcula mitti
Dat spatium gestis, citiùsque occurrit inerti.
Sed, neque de Quatuor, quorum pars plurima mundi

Præda

Præda fuit, quemquam numerabis ab hoste peremptum,
Dum caluit Mavortis opus. Nam vana feruntur
De Tomyri in Cyrum, quamvis potuisse fatemur.
Ast horùm extremos ævo, sed robore primos
Hostibus invictos, intercepistis, Amici.
Nec tua te virtus, Genitor, nimis obvia fato
Forsitan eripuit, sed proditor abstulit ensis.
Quòd si contingat fato properante reverti,
Quò rapimur cuncti, quæ me via pulchrior unquam
Inferat Elysio, paribusque immisceat Umbris?
Hæc merces, non pœna foret. Non longa rogamus
Tempora, sed nullo nutet quod tempore, Nomen.
At me Regnorum teneat fortuna meorum,
Injiciatque moras, ausisque insertet habenas.
Non ita Gotorum leviter tutela, salusque
Insedere Deis; ut, quos ad sceptra vocavit
Cura Poli, jussitque humeros supponere moli,
Auferat ante diem; commissaque machina retrò
Vertat, & ingenti trepidet lapsura ruinâ.
Quin, medios etiam libuit cùm rumpere cursus,
Et princeps mutare Caput: Victoria casum
Temperat, & lauru redimit palmata cupressum.
Par tenor, & melior Divos præstabit amicos;
Pleniùs & meritas donis cumulabimus aras.
Sed, neque si pugnem gressus inhibere citatos,
Quà Bellona vocat, sim par in bella trahentes
Suspendisse Deos, violentaque fata tenere.
Indignor stimulis, cogorque invita fateri:
Hos abitus non sola paro. Subit alter, & hæret
Æmulus, & nostri partem sibi vindicat ausus.
Hic tibi, (si Patris monitus sat prendis in umbris.)
Quòd me tam lentè patiare capessere bella,
Succenset, nimiasque moras incusat, & urget.

Gustavum non ab hoste, sed à commilitone proditoriè interceptũ haud secius Christinæ suspicio fuit.

Et

Et mihi nec tacitus, nec rarò occurrit; & illa
Plurima vox instat: Quando per tela, per ignes
Testabor te, Gnata, meam; rursusque renatam
Gavisus, geminâ solabor prole sepulchrum?
Huic tantùm purganda vocor; nec fronte protervâ
Inficior crimen. Cumulata piacula solvam
Jam jam, læse Parens, veniamque merebor abundè.
Hæc dedit, & toto majestas prodita vultu
Ultrà est visa loqui. Trepidus non pertulit ille
Instantes oculos, & toto pectore cessit
Proposito, penitusque novos consensit in actus
Martis, & extremas primus deduxit ad oras,
Postmodò cùm totis ingressa est viribus æquor.
Sed mora longa nimis; nam, quamvis stringeret umbram
Cardinis aucta dies, & ver optabile nautis
Alliceret cupidas nota in commercia puppes:
Clausus erat pelagus; Boreæque in claustra furebat
Auster, & infestos inimica in littora fluctus
Jam dudum urgebat, ceu Vandala bella tenere
Vellet, & obversus cognomina Regna tueri.
At residem Regina Thetin non pertulit ultrà,
Injecitque mari classem, vetitumque per Austrum
Rupit iter, flexis obliqua in flamina velis
Impatiens; specimenque dedit, quo turbine terras
Incessura foret nil auræ, aut indiga fluctus:
Sed ferro factura viam per plana locorum
Nunc quoque Gustavi latè protrita catervis.
Totque acies inter, fulgentesque ære phalanges,
Haud illam interior famulatus, pallave dispar
Dedecuit. Secum duri in certamina Martis
Quas habuit Socias, idem simulavit amictus
Esse mares; sexumque manu vis mascula texit
Thermodontiacas olim molita bipennes.

Qua-

Qualis, ubi insuetos audax deduxit Jason
In fluctus Divûm pueros sibi vellera Phrixi
Aurea pollicitus (penitus ni Græcia mendax)
Ipse super cunctos; quamvis comes iret in undas
Castor, & Alcides, Regumque ex ordine sanguis
Plurimus; incedens habitu præsignis, & ore
Undique concitos in se convertit Achivos
Auspicis, atque Ducis non impar visus honori.
Talis ad appulsas concessit Virgo carinas
Heroo non lenta gradu, cursumque citari
Imperat, & versi redimi dispendia ponti.
Idem omnes simul ardor habet, nec præterit ullum
Gloria, Germano quæ stans in margine laurum
Exerit, & rutilo puppes invitat amictu.
Atque aliquis senio gravior: qui plausus, honorque,
Cùm referet se classis, ait, redeuntibus unà
Puppe coronatâ, nexisque ad vela Corymbis!
Inque vicem qui mæror erit, luctusque, pudorque
Desedisse domi, nulloque hilarare relatu
Pocula, sed tacitè festas transmittere mensas?
Interea vanos posuit contempta tumores
Tempestas; victusque animis audacibus Auster
Concessit Boreæ, patriosque refugit ad æstus.
At jam fama quatit tantæ prænuntia Classis
Austriadas; visæque procul descendere nubes
Vertice de Scythico, nigrosque impingere nimbos
In latus obversum. Sed, quamvis plena propinqui
Argumenta mali; medio irrepsere timori
Gaudia Theutoniæ; nec, si fas posse morari,
Exclusisse velit Cimbros; seu gloria magni
Sollicitat belli; seu mens præsaga futuri
Tempora temporibus sentit pensanda secundis
Nubila; magnanimæ seu pectora noverat hostis,

Cui crevisse labor, sed decrevisse voluptas;
Sive reversuram primi in commercia ritus
Vaticinata Fides, excussuramque tenebras.
Hostibus hi motus; sed tractus fida propinqui
Littora Vandalico nuper sub jure recepta
Exceptura trabes læto fervêre tumultu,
Obviaque oppositas Dominæ prodire per undas.
Nec dubitata Ratis, quâ se Regina ferebat
Classibus in mediis; tantum de puppe superbâ
It jubar, & tremulis tranquilla per alta cerucbis
Imperat. Illam omnes stipant largo ordine pinus,
Deducuntque vadis; sed jam sub fine viarum
Decedunt, cohibentque fugam. Subit Illa per alas
Altior, atque intrat visos accedere portus.
Utque solum tetigit: Tellus, ait, hospita quondam,
Portio nunc Patriæ, & sceptris pars addita nostris
Accipe me facilis non tam protendere fines,
Quàm cupidam proferre decus; nec crede Parentis
Progeniem, dedero si non virtute Parentem.
Dixerat: excipiunt acies inclinibus armis,
Submissoque genu, quondam post mille trophæa
Quam primi absentem victrici morte perempto
Suffecere Patri, Regnatricemque subactæ
Theutoniæ, & pariter proclamavere Trionum.
Hìc Arx armorum; sedet binc Mavortia gesta
Ordiri, & longi seriem disponere cursus.
Nam pelago confine latus, tutique receptus
Classibus, & Cimbris non dissita finibus ora;
Multiplicisque ferax Cereris, gregibusque redundans
Pingue solum, populisque frequens, atque urbibus altis,
Stetinum quas una præit; præit amnis Odèra,
Ut reliquos amnes, majoremque egerit urnam
Agmine non uno, cui Baltica Doris amico

Occurrit

Occurrit gremio, mistisque reciprocat undis,
Fœdus, & in varias spargit commercia ripas.
Dextra abit in Danos; fines sed læva Polonos
Respicit; oppositos pars obvia Saxonas intrat,
Unde iter effusum diversæ partis in oras,
Germanumque latus discors; atque Austria regna.
Pandite Pierides, Romanæ Machina molis
Cui tunc institerit, seri Quem fecerit Orbis
Supremum fortuna Caput. Caliginis altæ
Vos quando nox victa fugit, semperque recentes
Se referunt casus, nullâque ætate senescit
Visa semel facies transacti. Evolvite clausas
Retro vias, magni species quò turbida belli
Prodeat, & rerum meliùs se digerat ordo.
Proximior primo mundi sublatus in Arcem
Absolvit postquam longis anfractibus ægrum
Ferdinandus iter, meritumque admisit Olympus;
Nominis, Imperii, causæque, & ponderis alti
Auspicium, & fessas excepit Natus habenas.
Ille laborantis primùm fundamina molis
Circuit, & laceros reparavit providus artus
Acribus incumbens studiis. Nec vana timoris
Cura supervacui; dubio nam vertice nuper
Nutavit Genitor, mutiloque pependit ab axe.
Plurima principiò jactans Germania frenum
Fregit utramque Fidem, geminoque instincta furore
Crimina criminibus cumulavit sacra profanis.
Inde Palatinos complexa Bohemia Reges
Reppulit Augustum. Ruptis hinc Dacia metis
Pannonas arripuit, propiùsque accessit ad Istrum.
Parte aliâ trucibus Danus Dux additus orsis
Miscuit externos flammis civilibus ignes.
Sed, quo præcipuè nutarunt turbine fulcra

Culminis excelsi, Gustavi signa secutus
Sanguineo Austriacas fœdavit turbidus oras
Diluvio, & campos Boreas afflixit, & arces;
Relliquiæ ut superent, nec dum sit ducta cicatrix
Cladis, & Arctoæ durent monumenta procellæ.
Ille quidem magnis æquus cervice valenti
Ponderibus, multumque tenens de stirpe superbâ
Sanguinis, atque animi: toto sed robore contrà
Erexit Fortuna manum, seque obtulit hostem.
Hinc de tot Ducibus, qui se pro Cæsare fatis
Hactenùs obtulerant dextris, & mentibus acres
Fortis in arreptis nemo sat constitit armis.
Seu dubitata fides; seu sors non prospera belli
Verterit, & crudi segetes afflixerit orsus.
Tillius Huic prudens Venerem, Bromiumque perosus
Impendit sese, trepidâque ambage timendo
Affixus clavo, cœcâ est luctatus in undâ
Casibus ambiguis, & tempestate perenni.
Vandala de fracto donec temone procella
Abstulit in fluctus Gustavo nempe sinistris
Congressum fatis, nec tantis viribus æquum.
Plenior Hoc animi, totusque cruore redundans
Cæsareas duxit turmas Popenajus, & alas
Impiger audaces quocunque in turbine Martis
Intulit insultans hosti, semperque lacessens
Fata manu, largusque animæ, centumque decorus
Pectora vulneribus, cujus sors objce versa
Gustavi cæde nobilis. *Substitit ad Luzen, pugnæque recruduit ardor.*
Hoc quoque Gustavi quamvis jam lumine cassi
Relliquiæ traxere caput; magnâque cadenti
Morte parentantem major secum abstulit Umbra.
Fortior Alterutro totas molitus habenas
Non semel Austriadùm lacerum Frillandius axem

Rexit,

Rexit, & ingenti tenuit virtute ruinam.
Sed, quem bellorum tot non hausere pericla
Stragibus in mediis: omni violentior hoste
Torsit in abruptum, nec honoro funere mersit
Ambitio, & partes mens dedignata secundas.
Nempe ægrè admissum pleno dum jure retractat
Sæpiùs imperium, summoque assuescit honori;
Dedidicit privata pati, propiorque timeri,
In sua civiles excivit fata furores.
Nec levis ille timor, solo qui sanguine sisti
Jam poterat. Cecidit tentati victima sceptri,
Vel nimis in præceps effusæ Cæsaris iræ.
Post Hunc non habuit, cui se committeret anceps
Austriacæ Tutela Domus. Hinc sustulit ensem,
Auspiciumque Patris Natus; nec viribus ægris
Despondit teneros tantâ sub mole lacertos
Jam tum duratâ meditatus mente labores.
Ergo tot adversis monitus reditura putare
Prælia, & erectus Christinæ ad nomen, & arma
Concussas cauto reficit munimine partes.
Nec reparare sat est, sed rem majoribus implet
Auctibus, & plures trahit in certamina vires.
Illum consiliis, opibusque, & milite Roma
Fulcit, & Augusti Gens Itala dedita juri,
Auspiciove, juvat; sed fusiùs auget Iberus.
Nam consanguineum tutari in Cæsare culmen
Anxius occiduis agit hinc à Gadibus usque
Agmina, & extremis inde aurum mittit ab Indis.
Hæc sed ab externis collegit robora Regnis;
Indigenûm vis plura dabat; nam limite largo
Tenditur, & densis fervet plaga martia turmis.
Auxerat has acies Cimbris subductus ab armis
Saxon, & Austriacos post ultima fata sequutus

Gusta-

Gustavi; & Svevos prælata in castra reversus
Transtulerat socios non hæc exempla relictis
Pollicitus lacerum cùm se committeret Arcto.
Ipsa etiam Augusto visa est mutata favere
Fortuna, & tacitis infringere cladibus hostem.
Illius instinctu cœptum est per Vandala castra
Turbari, & cuneos fraus est invecta per omnes.
Nempe novis postquam veteres cojere manipli,
Jusque auctum hospitii: sæpè inter pocula miles
Emeritus rudibus seriem Tyronibus actam
Dum memorat belli, raptique in imagine Regis
Hæret, & exactos memorat pleno ore labores:
O', ait, invicti Divis corrupta malignis
Laurea Gustavi! quantùm distamus ab illo
Tempore, fulmineus quo Rex in fronte suorum
Inducens acies primos pedes ibat in hostes;
Spumanti seu vectus equo pugnacibus alis
Sanguineum signabat iter! Tunc certa triumphi
Spes erat, & nunquam nostros frustrata lacertos
Alea congressus. Nam quis tanto auspice pulchram
Lentus inire viam, cuneisve, aut objice valli
Sistier, aut medios passus consistere cursus?
Scilicet omnigeni tanta experientia Martis,
Tanta Ducem virtus firmarat, tantus ubique
Fortunæ, superûmque favor; non hæserit unquam
Ut dubia, & plenis Victoria plauserit alis.
Hinc alacres socii, plurèsque, hinc territus hostis,
Rarus, & attritus. Sed nunc verso ordine vires
Crevere Austriacis, & fœdera nostra reliquit
Omnis, & adversas sequitur Germania partes.
Nec meliùs Superos, nec te, Fortuna, tenebit
Prima fides: mens illa prior cum Rege recessit.
Illa dies Cimbris terræ, cœlique favorem

Abstulit. Infensis molimur prælia Divis.
Nec, quòd ab arreptâ nondum nos repulit orâ
Austrius, hoc debet (fas sit manifesta tueri)
Vis Arctoa sibi. Dum se parat ille, diuque
Implet, Hyperborei dilata est causa recursus.
Jamque aderit tantus Latiis, & tantus Iberis
Viribus, atque animis, ut non sat norit utrosque;
Si nos Germanis contentus pellere terris
Stabit ad has metas, & non transmittet in Arcton.
Nam quid Virgo rudis, quamvis interrita, quamvis
Vera Patris soboles? Utinam meliora sequatur
Consilia, & pacem positis sibi comparet armis;
Ne manibus partas nostris, ductuque Parentis,
Relliquias perdat, patriâque in sede laboret.
Ignis ut occultas viridi non prodit in escâ
Principiò vires, sed pabula fumida lentè
Præparat, & tacitâ disponit peste favillas;
Mox latebras odit, flammasque eructat apertas,
Vorticibusque subit rutilis, & sydera lambit.
Non secùs infidâ diffusum fraude venenum
Insuetas sensim mentes, ignaraque corda
Prætentat; mox nacta fidem fraus crescit in omnes
Certatim cuneos, atque agmina tota pererrat.
Nec scelus esse putant Natæ præferre Parentem.
Hinc prior ille vigor, speciesque, & fama parumper
Visa minor, sexûsque aliquid rediisse relicti.
Sic, ubi non constat facies turbata sereni;
Paulatim subeunt nubes, Austroque trahente
Nubila Phœbei vultus suffunditur astri.
Non latuere doli Reginam, cujus opertos
Mens assueta sinus primo deprendere visu.
Degeneres nec passa moras jubet ocyus omnes
Sistere se cuneos, clivoque è cespitis alto

Interfu-

Interfusa genas maculis, quas ira vicissim,
Alternatque pudor; geminos sed temperat æstus
Ardua vis animi; penitusque ignara timoris
Incipit, &, quamvis pacatis vocibus instet,
Stant gelidi, & pallent perculsâ mente Nocentes:
De Duce militibus ne sit sententia præcox,
Mos fuit eventus expectavisse futuros.
Gratulor in nostris tantum se tendere mentem,
Acris ut antevolet casus censura latentes,
Successusque operum. Cœpti fiducia nostri
Unde mihi constet, trepidis Exercitus anceps
Inquirit studiis. Dabimus; sumptique pericli
Reddetur ratio; sed quos timor indicat ægros,
Arguit haud fidos, & summam cogit in arctum.
Non priùs Austriaco sumptis decrevimus armis
Committi, quàm nos, pariterque expendimus Hostem.
Nec vacuum, & longis attritum cladibus illum.
Finximus, atque ægrè reparantem damna paterni
Naufragii, atque artus, protritaque membra trahentem;
Sed vegetum, plenumque suis, plenumque coactis
Viribus hinc, illinc, gazisque, & milite ab omni
Parte redundantem, titulisque enormibus æquum.
O utinam cunctas trahat in certamina gentes
Imperio haud lætas nostro; nam pabula crescent
Palmarum. Numero non stat Victoria. Raræ
Bella gerunt dextræ, momentaque prima laborant.
Congeries discors; varium linguæque, polique
Ingenium nulli, vel tantùm militat hosti.
Gens Arctoa mihi satis est, si pectora constent,
Si virtus, si prima fides; nec plura petuntur
Auxilia, in plures ne cedat adorea partes.
Lucra (nec inficior;) sed tantùm lucra triumphi
Persequimur; laurumque animo pensamus avaro.

Nam

Nam ſpolia, & prædæ latè creſcentis acervus
Vos manet: at noſtri merces Laus ſola laboris.
Interea urgendis quæcunque exercitus actis
Exiget, haud longè tellus Arctoa per undas
Suggeret, & largo mittet feſtina paratu.
Sed neque Germanæ conſtabunt fœdera Gentis
Addita Cæſareis. Timor hanc hærere coegit,
Non amor. Ut primùm fines intrabimus Hoſtis;
Agmina convertet, notamque redibit ad Arcton.
Nunc quoque pro noſtris intendunt vota trophæis.
Corporibus diſtant, animiſque hæc Signa ſequuntur
Theutoniæ populi, libertatemque receptam
Vindice Guſtavo memores ad noſtra reverti
Vexilla approperant. Non hanc ſpem fingimus: olim
Sollicitant noſtras tacitis oratibus aures.
Nam, quò plus crevit collecto robore Cæſar;
Hòc magis antiquos acuit vis aucta timores.
Hæc vulgare piget; quò mox debere catervis
Plura meis poſſim. Certamina tanta parantem
Nemo putet leviter me penſaviſſe futura,
Singula ſed penitus circumſpexiſſe pericla,
Indigeniſque meis etiam me poſſe relinqui.
At, licet abſcedat quicquid contraximus uſquam,
Me manet haud dubius certo Sponſore triumphus.
Ipſaque deſtituam niſi me, non miles, & aurum
Deerit, & in magnis quicquid Bellona requirit
Auſibus. Humanis non tantùm innitimur armis.
Hæc dabat; objecit cùm ſe ſubito ore refulgens
Humanâ major ſpecie, turritaque frontem,
Viſa priùs nulli Mulier: Germanica qualem
Limina tranſiliens Druſus, fineſque repoſtos
Depopulaturus prohibentem longiùs agmen
Tendere pertimuit, collectaque ſigna retorſit.

Tunc nec voce minax, nec torva, aut turbida vultu
Accessit propiùs clivo, sicque ore locuta est.
Terrarum, latè nutrit quas Rhenus, & Ister,
Reginam, Regina, vides. Te sorte secundâ
Promissam expecto, dudumque morantia fata
Urgeo; nam nostræ tu spes, atque ara salutis.
Sperne dolos, quoscunque parat vel territus hostis,
Vel lymphata fides. Nullis minuère periclis,
Nullius abscessu. Tu vim, momentaque rebus
Inspiras: te cuncta manent, te cuncta sequuntur.
Ipsa ego Te ducam; nec te violata timebit
Libertas. Nostris & Djs uteris, & armis.
Dixit, & affusis circùm se miscuit auris.
Num Spectrum hoc Pluto, (cùm non procederet ullum
Mustifidæ ingenium fraudis,) conflaverit, unde
Arma inter saltem fisam fallacibus umbris
Carperet; utque Patris, Natæ sic victor ovaret
In Spolio: An custos, atque ansa sortis Alumnæ
Finxerit auxilii manceps Birgitta Superni,
Nemo satis deprendit adhuc. Sed noxa salutis
Fertilis hortatur Divæ, Cœloque referre
Utile Portentum, versasque ad jussa phalanges.
Nam trepidi Monstro se submissere Nocentes
In Superos etiam prolapsos crimine fassi,
Cœlicolis tantus cùm sit consensus in ipsis.
Dixtinxit tunc multa nefas; nec tarda pepercit
Ignaris fraudum; sed conscia pectora culpæ
Non pudor absolvit, vindex sed pœna piavit.
Hic dolus ingentem sensim serpente veneno
Laturus cladem monuit solertiùs acres
Evigilare Duces, & custodire cohortes.
Sed, quasi contractam veniâ detergere labem
Agmina non possent; placuit lustralibus extis

Publi-

Publica communis celebrare piacula noxæ.
Area deligitur, quâ se ingens explicat æquor.
Hinc eques, inde pedes partitis ordine metis
Tenduntur, justoque tenent discrimine campum.
Hujus in extremo niveâ stat veste Sacerdos,
Dissectæque Canis trepidantia viscera tollens
Parte ab utrâque jacit. Pariter scelus omne facessit;
Et puræ redeunt excusso crimine turmæ.
Obscænum Regina sacrum prohibere parabat,
(Utilis imperio quamvis dementia, quamvis
Gentis ab antiquâ manaret origine ritus)
Gnara sed in vulgus quantum dominetur inane
Vana superstitio, cùm Legibus ære canoro
Obstrepuere Tubæ turbam retinere profanam
Abstinuit contenta procul deliria moris
Ridere insani, nec consentire furori.
Inde Jubet melior lapsas attollere mentes
Ocia nesciri, patriæque redire rigorem
Militiæ, & nullos normam mutare per actus.
Quicquid contempto lymphata licentia fræno,
Quicquid luxus iners, quicquid malè blanda voluptas
Hauserat invecti per languida corda veneni,
Retrò peregrinas migrare coegit in oras;
Protulit unde mali se stirps, & labis origo.
Interea Arctois turbari in partibus audit
Extremis; enormis ubi confinia Moscus
Incolit, atque aliquid pariter movisse Polonos.
Nec minùs in mediis non sat constare quietem
Sedibus, & primum non consentire tenorem.
Non tulit hoc ægrè; rebusque usura sinistris
In specimen Virtutis abit rate vecta volucri
Milite cum raro. Non intellecta recessit
Stettino, atque aulam non intellecta revisit.

Nec mora : ſopiti motus, plexique nocentes,
Et repetita Thetis, ſubitique in caſtra recurſus.
Non fuit ex illò de tot ſua caſtra ſecutis,
De tot in Arctois ævum ducentibus oris,
Vel ſemel abſentem qui per momenta putarit
Chriſtinam; & parti reverentia crevit utrique.



LIBRI SEXTI

ARGUMENTUM.



IN procinctu movendi adversùs Ferdinandum III. Christina impatiens Dani injurias ulteriùs digerere, qui Amici, & Affinis speciem præferens inimicum interiùs coquebat, & Austriaco favens quotidie rem Gothicam carpebat: dilato Cæsare signa convertit, & præcipiti cursu ad ultionem properat. Simultatis, & irarum causæ. Danus nec opinâ irruptione tantùm non oppressus inicit se Classi, quà plurimum poterat, & Reginam ad æquoreum provocat periculum, quæ bis terrâ jam victrix ut maritimos terrestribus adderet triumphos concitis undique navibus certamini se præstat. Pugnæ apparatus, & quæ huic prælusere, prodigia. Conflictus, in quo, dum Christina hostilem in navim saltum destinat, sublapso ponte in mare procidit. Hinc Danis aucti animi, & ferocior in Prætoriam incursus. Sed Reginæ, quæ se fluctibus

bus celerrimè expediverat, Rex ex inſperatò impingens retrò fertur, Hoſtique ægre ereptus ad extremum ſuorum agmen recipitur. Svecæ Procnis de Deumnove Dano, cui clam nupſerat, querelæ, tentata ultio, & penè exacta, mox, reo abundè purgato, ſublatæ ſuſpiciones, & amor reintegratus. Sincera hæc inter Chriſtinæ de Dano Victoria, cui ex adverſo Norvegiæ littore in profligatæ, & incenſæ Claſſis aſpectu ſortem ſuam conqueſto, & ſub auroram curarum, & laboris defatigatione in ſomnum prolapſo Divus Henricus Daniæ olim Rex ſe videndum præbet, & ad pacem implorandam, unicum à cladibus effugium, adhortatur. Huic Victus obtemperans eam Victricis indulgentiam experitur, ut vinci profuerit.

LIBER SEXTUS.



Talia per Succos; sed, qui se Teutones olim
Gustavo addiderant Socios nil Saxone moti
Verso aliò rupere moras, nomenque dedere:
Ostentique fidem non unâ implère phalange. Quod Germaniæ Spectrum futurâ prædixerat.
Excivit Gallos etiam vaga fama remotos,
Qui memores parti Sveco discrimine lucri
Ocyùs accelerant, recipique in fœdera poscunt.
Aggerat Orator Gentem facundus amicam,
Comminùs & veteri fatum movet intimus Hosti.
Adventum, Regina, tuum quo Gallia plausu
Gratetur, quantoque exultet læta tumultu,
Noverit ille probè, nostræ qui semina gentis
Noverit, atque unâ ductos ab origine patres.
Nec consanguinei tantùm vis germinis addit
Francigenas Gotis, soloque annectimur ortu.
Pignora cum magno nuper renovata Parente
Nota tibi, & certo sociatæ fœdere dextræ.
Hinc tibi legamur testandæ cominùs ergo
Lætitię, & stabilis quocunque in turbine vincli.
Quòd si cognatas propiùs dignaberis oras;
Obvius occurret Rex primo in limine Regni,
Excitique aderunt totis è sedibus omnes
Certatim Cives, & nulla morabitur ætas.
Nam quis progeniem Proavûm, Numenque Trionum,
Et jam Gotorum Dominam, Dominamque futuram
Germani latè mundi cunctabitur usquam
Usurpare oculis, habituque, atque ore beari?
Interea nostro pro se Rex utitur ore:

Armo-

Armorumque tenet quicquid Gens dives, & auri,
Evocat, & socii festinè in commoda Martis
Colligit, inque omnes admitti flagitat usus.
Tu modò, quâ statuas ordiri in parte labores,
Elige: sollicitæ peditumque, equitumque catervæ
Effundent sese, teque, & tua signa sequentur.
Sed, si consilio locus est, & Regis amici
Pondus habent monitus olim tot rebus, & annis
Experti, ac vires, inimicaque fata tenentis,
Noscentisque probè, quò constet summa triumphi:
Hinc procul Hispanas bellum migrabit in oras,
Cimber & occiduum turbo se vertet in orbem.
Nec te longinqui teneant fastidia cursus.
Omnis in accessu labor est. Cùm litora classe
Hesperia arripies, portusque intrabis apertos,
Protinus attonitas solo vel nomine terras
Impelles, nullusque viam remorabitur agger.
Rarus in eversâ superest regione colonus;
Nam, quos assidui non exhausere labores
Bellorum; tractus hos excivere retecti
Orbis, & Indorum pellex sibi transtulit aurum.
Sed neque te classes tantis conatibus æquæ
Destituent. Aderit Batavus juratus Ibero
Hostis, & in nostris quotquot navalibus hærent
Turritæ puppes, Arctoaque robora ducent
Agminibus sociis, sistentque ad litus amicum.
Nam Lusitanus nullo non tempore discors,
Nuper & invisis exutus colla catenis
Te dudum expectat, pronasque invitat ad oras.
Nec mora; jam victam scandet Gens nostra Pyrenen,
Auspiciisque tuis nunquam disjuncta coibit.
Hinc Tartessiacas ingens indago latebras
Cinget, & effugium terris probibebit, & undis.

Hesperiâ exceptâ divulsæ machina molis
Sidet, & Austriadùm Gens expirabit inanis.
Inde vigor manat, quo se Germana tuentur
Membra: fluunt vires illinc, quibus Austria constant
Fulcra domus, sceptrique fides casura labantis.
Gnarus enim solo non posse à milite Quintus
Carolus Imperii retineri frena vagantis
Callidus Hispanas funem religavit ad ansas
Consilium, atque aurum seris ducturus ab oris,
Perque suos Belgas alternaturus utrìnque
Auxilia, & Gentis commercia fida bimembris.
Hæc tu, si Martis sequeris compendia prudens,
Prælia multorum properè glomerabis in unum
Bellorum, stabilemque feret sincera triumphum
Palma; nec inde semel sublato fomite rursus
Concipient avidæ rediviva incendia flammæ.
Sin secùs, in cassum redituro exhausta labore
Submerges Istro, Qui mox emerget Ibero;
Cùmque minùs speres quicquam superesse pericli,
Ingruet ille furor Lernæi more veneni
Fertilis, & primas spumabit pejor in iras.
Nam memor, & doctus nullis oblivia pactis,
Cùm datur, & refert; consurgit, & induit arma.
Gallica sic toties objectus fata moratur,
Nec sinit Imperium Francorum sanguine partum
Converti, meritæque iterum se reddere Genti.
Baltica nec Cimbrum sic interjecta tuetur
Unda solum, tantis ut sat valleris ab Hostis
Viribus; occidui penetravit ad ultima Mundi,
Extremisque tenet lustratos solibus Indos.
Te vocat iste labor; nam quis te dignior Orbis
Auspicio occurrat, libertatisque redemptæ
Europæ? Et sociis ingens stat gloria dextris.

Par operi merces, & responsura parantur
Præmia. Tu tantùm nostros dignata lacertos
Exere lustralem votis communibus Ensem.
Quòd si Relligio, cui tu tutela videris,
Libera te tangit: non illic una coercent
Vincula discordes. scelus est ibi morte piandum
Suspicio exoriens; dubiique inquiritur omne
Pectoris arcanum: labat hìc, excluditur inde
Quodlibet arbitrium. Sed te vis inclyta martis
Sollicitet potiùs, Virtusque habitura trophæa
Æterna, & populis impensum robur amicis.
Celtigenas quandoque graves Regina futuros
Noverat, & nexu non constatura perenni
Vincula; sed Regni famam sociare potentis
Proderat, atque aliis carpturi in partibus hostem.
Pleniùs ergo suis usura in tempore fatis
Annuit Oranti, lætoque hæc reddidit ore.
Et, quòd cognato veniens gens Galla canali,
Et, quòd jam propiùs sancito fœdere nexa
Gaudeat appulsu Germana ad littora nostro,
Gratum est; & memori meritum sub corde recondo.
Quòdque iterum vires, & tanti robora Regni
Sit junctura meis, eademque aditura pericla:
Arctiùs adstringor, pactisque, animisque coimus.
Nec minor in nobis amor est accedere vestris
Finibus, & magni dextram contingere Regis.
Nunc animos junxisse juvet, nexuraque fines
Agmina, & oppositi divortia tollere tractus.
Utile consilium transmittere Bætis ad oras
Armorum molem, sectæque cubilia Gentis
Excutere, & Bifidi radicem exscidere trunci.
Sed modò ne placeat tam longè intendere cursus,
Plura monent; poscitque alios ea cura lacertos.

Haud

Haud bellum cum Stirpe gero. Sat cœpta Parentis
Urgere, & properâ Germanæ absolvere dextrâ
Libertatis opus, finemque imponere cladi.
Quin, si Cæsareæ poterunt se frangere vires,
Et metas, moremque pati: sine cædibus ullis
Pax erit, & puri condentur sanguinis enses.
Haud mihi bella placent nimii sitibunda cruoris,
Et nullum passura modum. Componere motus
Crescentes, legesque suas, & reddere cuique
Ritus jura sacri, violentaque fræna tenere,
Unus amor nobis: hæc ansa, & summa laboris.
Nam, neque si cunctas sit promptum flectere mentes
Unius in normam Cultus: injecta placerent
Vincula. Discordes satis est inhibere tumultus;
Pleniùs incertis dum se communicet Æther.
Non laudanda petit, nullique probanda Deorum,
Qui, quod Cœlicolæ non exegere, coactos
Urget; & haud placitas invitis destinat Aras.
Mens ea sit cunctis, quos nomine censet eodem
Una licèt distracta Fides. Si tendere fines
Hoste procul pulso, furiasque implere decoras
Martia vis gliscit, Cœloque impendere dextras:
Tunc ego consilium titulis, & fœnore longè
Pulchrius expediam dux ipsa, & fœderis auspex:
Longiùs impurâ quamvis distemus ab Helle,
Cantat adhuc vestros ubi didita fama triumphos. Innuit Constantin. à Gallis unà cum Venetis expugnatum.
Interea, minimùm quamvis protendere metas
Solliciter; socios quocunque juvabimus auctu,
Patris & invicti jam nota exempla sequemur,
Plurima ditandis quem cura impendit amicis.
Sed melior quis testis erit, quàm Gallia nostris
Plenior impensis, metasque egressa priores,
Et Rheni confinis aquis, olimque futura

Proximior Rhætis, atque Iſtrì proxima ripis?
Nos aliò Bellona vocat. Quam ſanguinis ordo
Non movet, & Regni ſat nunquam implenda cupido;
Huic labor, & laurus ſatis eſt, & conſcia Virtus.
Sed moror accinctos. Properate ad præmia Galli
Laturi ex animo prædas. Certemus utrinque:
Vos meruiſſe manu, me largâ excedere dextrâ.
Dixerat: Ille viam populoſa ad mœnia carpit
Liligerûm; atque aliis Regina eſt reddita curis.
Cæſar ut Arctoas jam tranſmiſiſſe carinas
Audiit, & ſenſim Germanos addere vires
Partibus adverſis: tantus ne creſceret Hoſtis,
Inque dies aliquod ſe ſe ſubduceret agmen:
Juratæ cenſet collecta examina molis,
Digerit inque artus, animoſque, atque arma miniſtrat.
Jamque pares ambo properabant ſigna viciſſim;
Infeſtaſque acies intendere; verſa repente
Cùm flexit Regina viam, Germanaque Danis
Prælia poſtpoſuit, curſumque retorſit in Arcton.
Uſqueadeò infidas manifeſto prætulit hoſti
Ulciſci inſidias, atque indulgere dolori
Magnanimo, fraudeſque priùs, mox bella profeſſo
Auſtria Marte ſequi, cœptoſque urgere labores.
Turbidus, exteriùs ſpeciem mentitus amicam
Danus, & Arctois concordia pectora fatis
Cæſaris occulto non unâ in parte favore
Hærebat cauſæ, dudumque juvabat operto
Auxilio; &, propiùs quò Mars ſpectabat ad enſes:
Sæpiùs hòc aliquid Sveco de jure latenter
Carpebat, confine ſolum, confine profundum
Affectans, jungenſque ſibi; monituſque propinquis
Abſtinuiſſe plagis, limenque, modumque tenere,
Haud unâ hortatus ludebat callidus arte,

Creſce-

Crescebatque malo questus frustratus inanes.
Tantum ausus, animique dabat Germanicus hostis,
Æmulaque æternùm Gens, & spes improba lucri.
Addiderant stimulos Regio contermina Regnis
Vulsa suis olim, subitæque accomoda fraudi,
Cognomenque genus, titulique hinc, inde vicissim
Adscripti sceptris, & stirps communis utrìnque.
Regibus hæc olim bellorum semina Danis:
Altiùs ast aliæ memori sub corde latebant
Irarum causæ, atque animi discordis origo.
Scilicet in cassum votis ambitus anhelis
Parrhasius nuper Thalamus, ducturaque secum
Jus Christina Patris, spatiumque immane propinqui
Cardinis, & major Regnis dos, Ipsa, superbis.
Ergo, ubi non ullo converti vidit in æquum
Admonitu Regina nefas, serpentia damna
Dissimulat, questusque premit, majoribus orsis
Ceù vacet, & Danas transmittat Cæsaris armis
Implicita offensas non suffectura duorum
Viribus, atque ideò momenti oblita minoris.
At mox confisum geminæ matura secuta est
Pœna duplex noxæ; tentatæ scilicet oræ,
Et malè perpensæ Christinæ vindicis iræ.
Qualis ab æstivis proruptus nubibus ignis
Nuncius accensi Terræ in delicta Tonantis
Vix reserat nimbos, cladenque ostentat apertam;
Et jam præcipiti transmissæ fulmine circùm
Dissiliunt turres, fumantque cadavera campo.
Impete non alio Reginæ it concitus ardor
Per latus obliquum, laxisque irrumpit habenis:
Festinatur iter: properantes alite cursu
Non montes, non unda tenet, nullique morantur
Objectus: deprensa viam dant oppida; & hostem.

Nec novisse vacat, nec præsensisse periclum.
Ponè faces ardent: volucri vix lampade flammæ
Corripuere domos, incensaque semita lucet;
Cùm subit ulteriùs præceps, atque occupat omnes
Sparsa aditus acies & transilit ocyor ignes.
Fama tamen cladis, quà non velocior ullus
Nuncius ad Regem pennis trepidantibus acta
Claustra monet portis everti. Ille arripit arcem
Excitus aeriam properè, nec credita circùm
Agmina dinumerat visu defixus, & æger.
Non secùs, Eridani Pastor, prope fluminis oram
Cui natale solum: si quando noctis aquosæ
Tristis hyems mutavit iter crescentibus undis
Aggere disjecto: miratur luce reversâ
Insuetosque lacus, inopinaque stagna, nec usquam
Culta videt, raptosque greges, armentaque luget,
Deque suâ trepidus jam desperare salute
Incipit; atque abolet major jactura minorem.
Post, ubi collegit sese, mentemque recepit
Perculsam, scandit cymbam festinus, & oras
Arripit æquoreas Danus; nam plurima distat
Insula, & ingentes tutantur litora classes,
Objectumque salum. Vocat hinc in prælia cives
Dispersos, minuitque metus, atque expedit arma.
Nam, quamvis ætate gravis, sparsusque pruinis
Tempora: crudus adhuc, responsurusque labori
Stat vigor, atque olim multis vis inclyta palmis
Exuperat, retinetque animos, & sufficit armis.
Qualiter exhaustus senio, raròque relinquens
Tuta leo Lybies quondam vastator adustæ:
Defectum si fortè petit venator, & audet
Cominùs instare explicito, telumque minari:
Se recipit cautus, vicinumque arripit antrum

Roboris

Roboris exacti gnarus, viresque retentat
Antiquas, meminitque sui, furiasque peractas
Verbere sollicitat caudæ, poscitque timeri.
Profuit exemplum trepidis, stimulosque secutæ
Indomiti Regis raptim cojere phalanges
Dispersæ; & , toto Rector dum robora ponto
Colligit; ancipiti sunt ausæ occurrere fato,
Fortunamque manu tentare, & cernere ferro.
Ergo acie instructâ patriæ sub mœnibus altis
Hostibus objiciunt animas, & morte tueri
Pignora dulce Viris, thalamosque, & busta parentum.
Vandala sed virtus obtundi nescia Danos
Sæviùs afflixit, spemque intercepit eodem
Diluvio incumbens, & inanes obruit ausus.
Sors eadem, junctis quà se Norvegia metis
Porrigit, incubuit latè: sata versa, penates
Disjecti, incensæ turres, & , supplice quicquid
Oratu abstinuit, veniam nec prætulit armis.
Restabat Dano Regni pars æquore clausa,
Turritæque rates, infestusque undique pontus
Puppibus, & magnis possessum classibus æquor.
At Regina parùm Terræ contenta trophæis
Si non & pelago vicisset: jusserat alnos
Affore Vandalicas, & decertare Profundo.
Nam, quòd in æquoreis adeò confideret ausis
Danus, & haud ulli vim genti adscriberet undis
Fama parem: minor inde timor, majorque cupido
Hàc, ubi tantus erat, committi, & tendere contra.
Adde, quòd in numero misceri, & perdere tela
Non tulit, & cæcam dignari hucusque ruinam
Congressu Regina suo. tunc digna putabat
Prælia, & invictam meritura pericula dextram,
Cùm par discrimen, plenumque obsisteret agmen.

Ergo

Ergo, ubi concitę se prȩstavere Carinę,
Ingressa est Regina salum, nec distulit hostem
Elicere impavidum, seque indulgere periclo.
Plenior ille aderat numero, dudumque paratus
Mole Carinarum, turresque æquantibus altas
Puppibus, & latè fisus turgentibus alis.
Nec mora: cùm primùm sublatis æquora ventis
Strata vident; placuit nullo statura tumultu
Pugna, nec Æolio palmam debere favori.
Hinc, ubi se prompsit stabili porrecta sereno
Lecta dies; parili succedunt ordine Partes
Frontibus adversis, spatiosaque cornua tendunt
Se in medio curvante sinu, puppesque tenente
Regibus insessas, vexillaque prima per auras
Spargentes auro pulchras, atque ære timendas:
Mox se versurę, quò Mars, Ventusque vocaret,
Usurȩque suis pleno in discrimine Divis.
Jamque erat, ut paribus succinctę viribus ambę
Fulminibus classes magnis certamen inirent;
Cùm mare turbari in medio, geminoque repente
Crescere dissidio, trepidosque attollere fluctus
Advertère simul. Pelagi discordia secti
Alterutram tenuit partem, libuitque videre,
Quid novus iste furor ventis absentibus ortus,
Et non Æolio tempestas vellet ab antro.
Ecce autem geminę membris immanibus Orcę
Dant extra deforme caput, sinuosaque terga
Exertant, regeruntque haustas singultibus undas.
Horrent colla jubis, atque ardent lumina flammis
Sanguineis: pulsata gemunt sub verbere caudę
Æquora falcatę, latèque in sidera surgunt.
Ilicet adversum rabies se torquet in hostem
Æmula; &, illisùs quò plus incursus haberet

Mutuus

Mutuus infensi, rapiunt spaciosa vicissim
Æquora, & immensis proludunt orbibus iræ.
Convenisse putes; tanto mox ariete monstrum
Impegit monstro. Non is turgentibus alis,
Remorumque actu propulsas impetus unquam
Concitat in puppes puppes, & texta resolvit
Robora, cùm rostris inimica in rostra citantur.
Dissiliunt squamæ; consertisque oribus ora
Discerpunt. Nunc subter aquas conduntur, & hærent
Nexibus impliciti, seque eruta tollit arena.
Nunc se dissolvunt, atque ardua corpore toto
Erigitur moles, classesque, & litus obumbrat.
Nunc se prosternunt, glomerantque volumine pontum
Immenso, & subitis inclinant fluctibus alnos.
Proximior Dano sed quæ pugnabat in hostem
Bellua, nequicquam dudum luctata remitti
Cæpit, & adverso segnis concurrere monstro.
Mox minùs, atque minùs proferri, & tendere contra;
Donec inæquali congressu territa lapsu
Subducta est tacito, nec se ampliùs extulit undis.
Auguriumque rates Martis traxere secundi
Vandalicæ, & læto strepuerunt classica plausu.
Utraque tunc pariter Classis promota repente
Concitat incursus, & mutua damna lacessit;
In latus æquato nam vela intenderat ore
Per medium incedens Boreas utendus utrisque
Puppibus, & parili dispensans flamina lance.
Artica nam Doris tractari nescia remis
Carbaseis habilem tantùm se præstitit alis.
Pars tamen inferior rostris, & remige pugnam
More novo ingressa est classes imitata minores
Æquore certantes medio; nam rebus in arctis
Utilis abscessus volucris, subitusque recursus.

Ærea mugitu proludunt fulmina rauco,
Incestantque diem fumo: pulsata resultant
Littora, & abjectâ Proteus subit æquora conchâ
Territus; inde Virûm clamor, clangorque tubarum
Astra quatit mixtus, fremitusque, minæque vicissim
Alternant; vibrantque faces, & tela coruscant.
Quis tot diversi numeret ludibria casus?
Quis variæ virtutis opus? Quis robora lustret
Intima nil vetitus nebulis, & singula monstret?
Auricomus Nantes Venetâ de stirpe Latinis
Jam notus Musis, & Apolline clarus Etrusco,
In manibus cui semper Ebur, modulosque retentās
Semper in ore Melos patriis digressus ab undis
Venerat algentem mundi lustrator ad axem,
Cominùs ut tantæ spectans Heroidis actus
Instrueret numeros, seque ostentaret in Illâ.
Vota nec audentis successu lusit inani
(Rarus bonos Plectro) Fortuna. Hinc hæserat aulæ,
Impleratque sinus donis, censuque redundans.
Isque, ubi pugnaces Christina exorsa labores
Seposuit vittas galeata, & sustulit hastam:
Excitus erubuit belli in discrimen eunti
Subduci, &, studium quamvis sectatus inerme
Horruit in jaculis, rutiloque effulsit in ære.
Quâque die indictum parti certamen utrique
Æquoreum, tantæ lymphatus imagine pugnæ
Vaticinâ Dominæ prælusit mente triumphum,
Suspenditque vadis tractas Nereidas imis.
Hæc pugnâ exterior. Sed, cùm mox ingruit horror
Bellipotens, martisque furor se cominùs egit:
Usque adeò insueto despondit corda tumultu,
Ensis ut oblitus, sed non Testudinis ultrò
Territus in medias se se projecerit undas

Ipſe ſibi exequias, & carmen funebre cantans.
Fata moraturæ quis non ſit deditus Arti
Pieridûm? Cyrrhę quis non operetur amicæ?
Non procul à puppi, quâ ſe demiſerat amens,
Lętus, & auditi captus dulcedine cantus
Hęrebat Delphin, qui fila extrema ſecutus
Prępicitis properavit opem, dorſumque cadenti
Stravit, & exceptum, patuit quà limes aquarum,
Abripuit, fidæque procul commiſit arenæ:
Parque pari incolumis vectore evaſit Arion.
Claſſis Agellonæ dextrâ de parte magiſtro
Incurrit Virno Dani Vimbeno ſiniſtri
Director lateris, ferroque, atque igne laceſſens
Alter in alterius tentavit robore ſaltum,
Inſiluitque furens; parili ſed diruta pinus
Utraque colliſu fundo ſe condidit imo.
Nam per deductas admiſſo gurgite rimas
Subſedere ſimul. Præbent ſolatia caſus
Alterni: viſæque etiam pugnare ſub undas
Implicitæ puppes; diſcordia tanta profundi
Perſtitit, & rubri durarunt ſurgere fluctus.
Fata Virendonum longè diverſa, Lyrinque
Verſarunt; namque iſte Gylin, namque ille Thoanta
Dum premit, & velis jam jam fugientibus hærent:
Diſpulit hunc, illum ſuccedens Lampus, & Uffen,
Inſtantique aliis interceſſere furori.
Illi auctis animis, & lucra erepta frementes
Acriùs objectis incumbunt, totaque puppes
Agmina in adverſas cuneis properantibus urgent,
Infenſaſque rates ſubeunt, vacuantque carinam
Quiſque ſuam: nudas quam mox novus occupat hoſtis.
Abiete ſic geminâ exuti, geminâque potiti
Evadunt. Æquat prædam jactura viciſſim:

Et licèt armifero diſtracti turbine ludi
Ridere alternos Mars, & Bellona vacarunt.
Jampridem aſſuetus deſcendere ad intima ponti
Diphilus, atque animæ retinens habitare ſub æquor
Fuſiùs, &, fundo ſi quid ſubſederat, inde
Eruere, & viſis animo non linquier Orcis:
Principiò pugnæ meditatus grande periclum,
Mars ubi percaluit, ſe clam demiſit ab alno,
Hoſtilemque ratem ſubiit, teretique veruto
Non intellectus cœpit terebrare carinam;
Gurges ut ingreſſus plenam deduceret alvum.
Hoſpes at undarum jam multis robur ab annis
Induerat lapidem (ſolet hoc,) & reſtitit orſis,
Callidaque in caſſum merſi conamina vicit.
Ille diù luſus, jamque aeris indigus hauſtu
Ceſſit ab incœpto; ſed fruſtra huc verſus, & illuc
Quæritat exortus; nam ſtratum claſſibus æquor
Luctantem tenuit, nec reddidit ampliùs auris.
Falſus ab infido moderator Narmina clavo,
Incidit adverſo, quem caſu fortiter uſus
Torſit in obliquum nitens non immemor artis,
Intenditque procul deſertà à puppe, ſimulque
Objecit prudens revolutum robur amicis
Puppibus hinc inde invectis: mox fraude peractâ
Dejecit ſe ſe, tutamque renavit ad alnum
Utilior lapſus, quam freno affixus, & hærens.
Incuſſo implicitus roſtro, retròque referri
Invalidus Pedilo, totis conatibus inſtans
Nequicquam, ceſſit Mindo, frendenſque carinam
Captus in hoſtilem tranſit; ſed triſte peroſus
Servitium arcanam penetravit turbidus alvum,
Vis ubi rupturæ in flammas latet abdita peſtis;
Injecitque facem, ſilicis quam vena parentis

Verbe-

Verbere concepit Chalybis . Tonat ilicet antrum
Discussum, turboque vorax per aperta vagatus
Gliscit, & innumeras contagia spargit in alnos.
Classis at in medio pinum Regina minantem
Concitat, atque ausum se contra inferre Tibernum
Enormi invectum pistri jubet ocyùs unco
Sistier ad pugnam, commissaque robora necti.
Sed, dum correptam puppim, vetitamque referri
Injectis scandit tabulis, hastamque coruscat:
Ecce laborantis diffuto tramite pontis
Destituunt gressus, sublapsaque planta citatam
Decipit . Icta sonant inopino stagna tumultu
Verberis, & rupti saliunt in sidera fluctus.
Expavere acies, veluti subsideret undis
Omnis, & in fundo classis se conderet imo.
Illa super fluctus sinuoso murice fulta
Eminet haud quicquam casu turbata sinistro,
Innocuamque Thetin faustæ pro pignore pugnæ
Arripit arridens, & præcipit omine palmam.
Qualiter è scopulo cùm se dejecit acuto
Leucothoe insanum fugiens lymphata maritum:
Horruerant Thebæ lapsum, vacuumque sepulchrum
Spectabant trepidæ jam tunc; illa addita Divis
Cæruleis pelago fati secura natabat.
Danus at, æquorei cui sors sperare favoris
Jam meliora dabat, socios in bella vocabat
Parte aliâ, & magnis acuebat vocibus iras:
Non insperato, Cives, subitoque tumultu
Corripimur . Longè hinc fraudes, turbataque cœco
Corda metu . Pleno primi super alta paratu
Adsumus: atque olim clarum toto æquore nomen
Sat foret ad palmam . Nunquid rude robur, & impar
In nostris nos franget aquis? Virgoque timeri

Exiget?

Exiget ? Hunc ſaltem patriæ probibete pudorem:
Sitque palàm, ſubitas quas paſſa eſt Dania, clades
Deberi inſidiis; ſed, cùm virtute profeſſâ
Æmulus invehitur, juſtiſque expenditur armis:
Non eadem tunc fata ſequi. Vis aucta, calorque
Vocibus his. Tantis ut verò eſt additus orſis
Nuncius exceptæ Chriſtinæ fluctibus, omni
Corda metu liber: Totas impellite puppes,
Altiùs ingeminat. Caſus jam bella peregit
Inviſi Capitis, reſtatque cadaver inane
Vandalicæ Claſſis. Merſa eſt Chriſtina profundo;
Et ſecum fortuna jacet. Properate receptas
Ulciſci inſidias, Diviſque inſtate ſecundis.
Unus in aggreſſu labor eſt, prædamque paratam
Colligere, atque Hoſti vincla inſertare fugaci.
Impulit ardentes; auris nam forte ſiniſtris
Svetica ceſſabant, & carbaſa Dana tumebant.
Ergo alacres totis inceſſunt viribus Hoſtem,
Injiciuntque uncos ratibus. Rex primus in alnum
Regalem direxit iter, votiſque fatigat
Neptunum, vacuamque ratus toto impete robur
Concitat incumbens, & roſtro impactus inhæſit.
Deſtinat in puppem ſed dum de puppe propinquam
Intrepidus ſaltum, Regi ecce occurrit in haſtâ
Fulmineâ, & trepidum monſtro ſuſpendit, Amazon.
Tigridis in catulos qualis ſub luce recenti
Securus prædæ fertur Venator, & antrum
Occupat impavidus, digreſſam ad pabula matrem
Dum putat; attonito ſi forte immanis hiatus
Objicitur, pleniqne fremit tutela cubilis:
Alipedem convertit equum, mutataque vota
Urget, & horrendos evadere flagitat ungues.
Danorum Dux talis erat, cùm frontis obarſit

Inſpe-

Insperatus apex metuendæ, inopinaque tela
Fulserunt. Subito (quod mens dabat anxia) casu
In medias se jecit aquas, cymbâque receptus
Cessit, ab occursu nondum sat tutus iniquo.
Dum furit hìc Mavors, hostesque impellit in hostes,
Parte aliâ vetito penè imbuit arma cruore
Læsus amor Thalami, nec se passurus inultum.
Inter Amazonias studiis imitata catervas
Agmina Locris erat, quæ non Mavortis amore
Induerat galeam, sed mulctatura maritum
Deumnona; cui dudum genialia fulcra precato
Nupserat, occulto tandem sociata cubili,
Jurato tamen ante Deos, &, quicquid ab alto
Jus habet in terris, in publica fœdera tedæ
Postmodò venturum thalamos, & pacta professum.
Tunc opus ad Patrii converti limitis oras,
(Stirpis erat Danæ) nec longi temporis actu
Inde recursurum: vincendus nempe parentis
Longævi assensus, captus qui Virginis auro
Indigenæ arbitrii expertem se vinxerat illi
Ante diem, & teneros maturæ addixerat annos.
Nec labor hoc ingens; gentis namque unicus ipse,
Et vacuæ spes una domus, cui flexus avaræ
Ætatis vitium genitor donabit, & ultrò
Præponet Locrin, natumque ad vota remittet
Æqua, nec ulteriùs justò pugnabit amori.
Quòd si stet contra, rigidasque adducet habenas:
Tunc sibi laudandum salvâ pietate reverti
Conjugis ad gremium, vitamque hærere per omnem.
Annuit ergo abitum Locris non læta; celerque
Ocyùs ut redeat (nam nec minor ignis in ipso)
Ille abit, & patriis optatus redditur ulnis.
Irrita sed movit; namque altas egerat auri

Radi-

Radices sceleratus amor, mentemque senilem
Hauserat. Orantem genitor procul arcet, & urget
Insurgens, additque minas, & jurgia miscet.
Institit ille diù; sed, postquam nullus ad aures
Ultra aditus patuit, duro cum patre penates
Deserit, & Dani addictus se devovet armis
Regis, ut impensæ post longa pericula dextræ
Hoc saltem immites intercessore parentis
Leniret furias, & voti compos abiret.
Sæpiùs hæc inter repetitis lactat amantem
Pollicitis, causasque moræ contexit, & ægram
Ingenio differt vario; nam patre recessus
Indigus invito fuerat, nudusque futurus,
Vitaque per curas expuncto, arctèque trabenda.
Sed jam cunctantis veniam consumpserat omnem
Interjecta dies; dubiæque, & plura timenti
Attulerat rumor rimanti cuncta maritum
Cessisse alterius tædis, thalamumque fovere
Sedibus in patriis oblitum juris, & æqui.
Credidit infelix; nam quid non crederet olim
Suspiciosus amor tot per dispendia tractus?
Ergo amens furiis, nec justas ausa fateri
Irarum causas sexum dedocta cobortes
Auxit Amazonias, peltamque, & balthea sumens
Acrior offensâ, dextramque instructa bipenni
Christinæ placuit, paribusque est addita turmis.
Illa tegens animos, unique infensa marito:
Vandala Germanas cùm transmisisset in oras
Classis: inaspecto se se subducere furto,
Et Danas penetrare plagas decreverat, illic
Mulctatura virum: mox verso in viscera ferro
Insterni extincto, facilesque in devia cursus
Virginis ulcisci, labemque abolere pudoris.

Jam-

Jamque fugæ propior Dominæ vexilla citari
Audiit in Danum dilato Cæſare, & omnes
Intendi hùc vires. Hinc ſe collegit ab orſu
In deſertorem belli communibus armis
Uſura, & dextræ ſumptura ad vindicis iram
Momenta, & gemino ſe reſperſura cruore.
Una priùs merces juſto eſt ſepoſta dolori
Ingratum pulſare probris, vivoque profeſſis
Præſultare odiis, teloque inceſſere linguæ.
Favit & hàc avidę Sors obvia; namque receptus
Danus ad ęquoreas poſt terrę incendia vires
Errabat pelago, Svecoſque in bella vocabat
Claſſibus exuperans. Nec ſat gaviſa ſubacto
Hoſte recèns pariter ſi non fregiſſet & undis,
Miſerat accitum patrias Regina carinas
Terreſtrem æquoreo properans cumulare triumphum.
Novit & hæc inter comitari Deumnona Regem
Locris, & in Ducibus numerari, atque aſſore pugnæ
Turrigerâ, cui ductor erat, de puppe. Nec ultrà
Quærere ſuſtinuit, metuens ne pectoris ægri
Vulnera rimatu pejùs tractata dolerent.
Nec minùs audierat Deumno, cui Conjuge cura
Nulla prior, Locrin Reginæ hærere catervas
Virgineas inter celebrem, pariterque carinæ
Unius in regimen lectam; nam ſingula juſti
Veſtigare thori, momentaque cuncta tenere
Sollicito monſtrabat amor. Spes ergo per ambos
Orta propinquantis poſſe in certamine ludi
Committi. Penitus ſed mens diverſa ſubibat.
Hic purgare moras: deſerti Hæc ſumere pœnas
Ardebat Thalami, geminumque haurire cruorem.
Jamque aderat ſperata dies, & celſus uterque
Puppibus extabant alios non verſus in hoſtes,

X *Alte-*

Alterutrum alteruter sed visu, animoque requirens:
Seque ambo prendere simul; nam casside liber
Alter, & alter erat, quò cerni, & cernere posset
Quæsitum sine nube caput. Prior impulit Uxor
Robur, & obliquè torquentem Deumnona clavum,
Parceret ut Locri, contenta, atque impete toto
Invasit, tenuitque ratem. Nec segnior ille
Armorum oblitus, sed non oblitus amorum
Insilit impactam rectâ projectus ab alno.
Illa fugit predâ exultans, trucibusque parantem
Rejcit amplexus oculis, dignataque nullis
Vocibus impellit puppim, littusque propinquum
Arripit, & secum dextra retinente maritum
Penè trahit, primæque furens se immittit arenæ,
Proluditque odiis, & sic accensa profatur:
Agnoscisne tuam, Conjux fidissime, Locrin?
Hæc est illa fides, jurataque Numina sanctè
Culta, priùs precibus sed præcorrupta, rogabas
Dum recipi in thalamos, atque æmula vincere vota?
Haud labor est violare Deos: evadere læsos
Durum opus. En adsum, cui tu illusisse putabas
Impunè, & solis ulturam pacta querelis.
Dixit, & eduxit gladium; sed pectora ferro
Olim Deumno dabat, visoque interritus ense,
Atque indignanti propior sic incipit ore:
Deerat hoc solum tantis jam fluctibus hausto,
Ut reus arguerer desertæ Conjugis, unâ
Quâ semel ut fruerer, carui genitore, domoque
Nudus, & objeci bellorum casibus ægram,
Addictamque animam; nec me proscinderet hostis;
Ipsa sed, ut coràm mutata imponeret Uxor,
Exueret sexum, strictumque intenderet ensem.
Confice (quid cessas?) potuisti credere sontem

Quem

Quem priùs, & ferrum jugulo, vel pectore conde.
Munus erit, non pœna, mori; nam fata trahenti
Dura quid ulteriùs, quid jam superesse malorum
Damnato, pulsoque potest? Mors sola peracto
Consulet: & solam imploro, & pronus adoro.
Confice, quid segnis dubitas? Constantia vultus,
Pectus & objectum, subitusque in Numina questus
Aspera prolatus, redivivusque ignis amoris
Impatiens odio vinci suspenderat ictum
Jam jam præcipitis, sed non extinxerat iram.
Cum subitò (incertum est amor hanc, pietasne merenti
Approperarit opem) medium se injecit utrique
Deumnonis Evernus genitor, tenuitque furentem
Sordidus imbre genas, gemituque morante querelas.
Illum, ubi nequicquam tentavit Deumnona Locri
Abripere, atque aliò convertere ductus avaro
Instinctu, frustràque minas consumpserat omnes,
Pœnituit serò cœptus, & patre reverso
Damnavit longas animo censore repulsas.
Ut verò addictum Marti, atque instante periclo
Incertum vidit fati, propiorque sinistris
Casurum timuit natum, seque horruit orbum:
Procidit in luctus, solosque excessit in agros
Extremos carpens curis tortoribus annos.
Quàque die indictum pugnæ certamen in undis
(Noverat hoc Danos nam latè erexerat omnes)
Littore ab extremo possessum classibus æquor
Ingreditur votis, natoque obtenditur uni
Pectoris objectu, Pelagique, Polique potentes
Sollicitat Divos, & salvum Deumnona poscit,
Illius aut saltem præcurrere funere funus.
Utque ratem vidit contentis viribus oram
Arripere, & Locrin correptum Deumnona rupti

Incuſare thori, ferroque, & voce minari:
Horruit attonitus ſubitum diſcrimen, & amens
Emicat in medios (vires Natura ſenectæ
Anxia ſuggeſſit vacuæ) ſeque obtulit enſi
Irarum gnarus tantarum, & provocat hoſtem:
In me verte minas, in me connitere ferro,
Ingeminat: nempe ille nocens, qui veſtra diremit
Conjugia, & tenuit repentem Deumnona Locrin,
Ille ego ſum; fateor, juſtam nec deprecor iram,
Noſtra ſed inſonti noceat ne culpa marito.
Erubuit, ſtupuitque ſimul, diviſaque Locris
Cunctata eſt paulùm; mox præceps irruit ulnis
Conjugis, & Soceri, cæcumque excuſat amorem:
Quamvis (tam multo redierunt fœnore Divi)
Prolapſam juvit, lucratam nempe ſalutem
Unius haud capitis; pariter nam profuit error
Conſorti, & Socero, quos merſos extulit unus,
Unus & ex æquo geminâ mercede redemit
Ingenioſus Amor, vario qui turbine ludi
Ambobus Locrìn, & Locri reddidit ambos.
Itur in amplexus; natum pater, ille parentem,
Ante tamen Locrin repetitis nexibus arctam
Diripiunt. Vocat ille nurum, vocat ille maritam,
Atque uni referunt redeuntis munera lucis:
Una ſalutaris nam fons, & cauſa receptus.
Altera mox feſſis ſuccedit cura; putantque,
Quò ſe convertant, & littora nuda relinquant;
Diſcordantque animi. Grandævo luſtra placebant,
Ruris & arcani latebræ: cariſque negabat
Pignoribus quicquam dirimi. Loca proxima bello
Deumno probat, pinumque iterum conſcendere, & inter
Diſcrimen pugnæ tutas fluitare per undas:
Martis ab eventu ſumpturus nempe peracti

Conſi-

Consilium. Hæc timidè sed se sententia profert
Uxori, & Patri metuens. Interrita Locris:
Gaudia conjugii quamvis præponere luci
Et possim, & cupiam, famæ præferre negamus,
Inquit; & hoc Deumno nolit; ni cura parentis
Contrahat, & nostri. Conscensis puppibus ambos
Ire decet, quò monstrat honos, partisque relictæ
Nos fortuna vocat. Cùm cesserit alea martis,
Jungemur; nullusque pudor manifesta notabit
Fœdera, & ignoscet; si quid peccaverit ante
Abscessus, primasque moras donabit amori.
Tantum animi dederat Christinæ hæsisse parùmper
Fœmineæ menti! Deumno prior insilit alnum
Lætior, atque aliter puduit sentire parentem;
Major & in Locrin amor hinc est ortus utrìnque.
Nec tulit in fœdus versis Fortuna nocere;
Cœlicolis placuit nam pax privata secundis,
Nulla nec ablatis intervenere pericla.
Scilicet hęc inter pugnę transegerat actum
Christina, & latè victrix regnabat in alto.
Hactenùs ancipiti pugnarant turbine Classes
Sorte, animisque pares. Mars undique, & undique flammæ,
Fulminaque, & tonitrus, confusaque mortis imago.
Nam neque præcipiti Regina erepta periclo
Deprendi poterat; Regemque è puppe ruentem
Cognorant rari cives, qui mente receptâ
Integer in lævo reparabat pręlia cornu.
Sed procul extremo cùm visus in agmine Rector,
Christinæque salus latè est vulgata per æquor,
Dedidicit Fortuna vices, partesque secuta
Vandalicas toto disjecit gurgite Danos;
Solamenque fuit victis cessisse Profundum
Ante, nec exceptam potuisse Heroida Pontum

Hau-

Haurire, & facili non ſuffeciſſe ruinæ.
Certiùs haud unquam patuit pendère triumphum
Principis à fato, momentaque maxima rerum
Eſſe Ducem. Danas erexit fama carinas
Fluctibus illapſæ Chriſtinæ; ut conſtitit undis
Eripuiſſe caput, ſe tempore merſit eodem
Æmulus, & dubiæ cecidit fiducia palmæ
Attonitis, plenoque inceſſit Vandalus actu.
Linea Danorum namque interciſa carinis
Adverſis, flammiſque diù, nimboque tonanti
Obruta divulſas permiſerat hoſtibus alnos
Auxilii expertes, ſociaſque avexerat ægras.
Ordine ſic recto fuſis per inane Columbis
Deſtinat Accipiter mediam, ſeriemque volucrem
Unguibus irrumpit ſubitis, & diſſipat agmen.
Hæc quoque ſed fruſtra pars eſt confiſa ſalutis
Effugio tentare viam; nam præpete cornu
Abſtulit elapſus prætenta indago citato
Objectu occurrens, ſpemque intercepit inanem.
Ergo procul laceris conſtratum puppibus æquor
Cernere erat. Flammis ſemeſa cadavera fumant
Injectis: pars ſidit aquis: pars ſuppara vertit
Præcipitem complexa fugam: pars ſigna revellit,
Permutatque acies, & non ſua pondera vectat.
Exere de Phario frontem mitrata ſepulchro
In pœnam Cleopatra redux, mox condere buſto
Triſtis in extremo non ſat tectura pudorem.
Auſibus his pugnas miſcere, & ſcandere puppes,
His animis certare decet, quæcunque peroſa
Fœmineos Regina choros, exutaque ſexum
Permutat vittas galeâ, cuneoſque viriles
Intrat, & exertum poſcit regnare per enſem.
Sed pudet imbelles ad tanta exempla vocare,

Vulgò il Cardone, ut nunc mos eſt æquore præliari.

Infir-

Infirmasque Nurus; magis huc advertite mentem
Martia progenies, & rerum culmina, Reges,
Ingentesque animos, & semina ducite laudum;
Christinæque actus vitam pensate per omnem,
Sat, si contigerit partem didicisse, superbi.
Illa, ubi perdomuit, quicquid restabat in armis,
Condidit in cursu gladium, victisque pepercit.
Fragmina mox Classis laceræ, disjectaque rostra
Imperat incendi, fluctusque, & littora latè
Illustrat flammis, & utramque illuminat oram
Æquoreo victrix certamine. Concidit illic
Altera spes Danûm; Rectorque receptus in actam
Oppositam geminâ mulctatus clade resedit
Mentis inops, hausitque oculis humentibus ignem;
Et secum: Facilisne adeò, minimique laboris
Visus ego Superis, ut transcurrente perirem
Totus ab impulsu, terrâque, marique jacerem
Fœmineæ bis præda manus: velut aggere rupto
Interceptus aquis pluviâ sub nocte Bubulcus?
Proh pudor! Austriaci qui nuper scandere culmen
Confisus solii suffeci Cæsaris armis,
Dilapsis sociis, aut in contraria flexis,
Sic quoque par hosti, nulloque urgente reversus!
Lugebat, longosque umbris crescentibus ibat
In gemitus; tandemque sopor defecta subibat
Membra sub extremum noctis, currusque propinquos
Auroræ: In somnis cùm se Canutus ab Astris
Obtulit indigenûm quondam tutela, decusque,
Et patriæ quamvis digressæ à fœdere Cœli
Non oblitus adhuc, nec desperare recursus
Birgittâ monstrante viam diffisus amicos.
Anxius ille malis, sed nec sub nube soporis
Despondens animos, pugnataque bella retractans

Ingemit, atque fremit, populosque excire repostos
Cogitat, atque iterum recidiva in prælia tolli.
Qualis ab impacto serpens illisus aratro,
Dum jacet in campo resides revolutus in orbes,
Excitus explorat vires, linguâque trisulcâ
Sibila conatur, protritaque membra retentans
Multiplicat spiras nequicquam, & suscitat iras.
Talis erat, tanto nutabat mentis in æstu.
Mitior extemplo cùm nox irrepsit, & ægra
Tempestas animi visa est cessisse parumper
Hospitis accessu tanti; nam vincula frontem
Candida cingebant, & sceptrum dextra tenebat,
Palmatumque procul mæandro Syrma corusco
Gemmarum ardebat, quas inter sanguinis ibant
Pulchriùs ingenito radiantes igne lapilli
Mutati in meliùs Diadematis argumentum.
Hinc se aliquem proavûm referens de stirpe, nec ultrà
Confessus (penitus nam se præstare profano
Non decuit) sensimque oculis infusus anheli:
Ire iterum in gladios, iterum tentare pericla
Nequicquam moliris? ait. Quid truncus, & æger,
Sollicitas Hostem, cui nec par integer esses?
Si tibi sat non est metiri robora gentis
Clade tuâ expertæ: jam jam Germana docebunt
Prælia, Vandalicis quid distet Danus ab armis.
Una salus fractis oleæ prætendere ramos,
Christinamque sibi committere. Vincitur Illa,
Cùm secum certamen habet, seque objicit ipsi.
Fœdera nec pacis formides: Illius ergò
Præstiterit vinci, dictasque admittere leges.
Imperiosa sibi tunc est, & prodiga Juris,
Cùm sibi decrescit; mensurâ hac deficit unâ.
Regnorum tuto neu nominis ulla timori

Sit jactura tibi . Collato robore postquam
Fortior exuperat; laus est cessisse Minorem,
Et vires novisse suas . Terrena quid arma
Si cumulant Superi, seque addit partibus Æther,
Nullaque præcipitem sistit distantia cursum,
Non ętas, sexusque minor, non miles, & arces,
Inque suis hausto quicquid Mare persurit undis?
Haud tua me leviter tangunt discrimina; nec me
Humana obscuris ludit caligo tenebris;
Nec te nunc dubio versant Oracula sensu.
Integer, extremam probibes si pace petitâ,
Imperio, populisque diem, mox sceptra resumes
Reddita . Si perstas Martem tentare, jacebis
Totus, & auxilium frustra expectabis ab Istro.
Sed prudens submitte manus, fatoque volenti
Accede, & magni duc in compendia lucri
Utiliter flecti, dextræque hærere potentis
Auspiciis . Monitus iterumque, iterumque salubres
Inculco; Tu conde memor., sceptrumque receptum
Christinæ gratus referas: munusque fatere
Ipsius, exuto quicquid placata reponet.
Nec rursum diversus abi, sed frena tenere
Illius ad normam gaude . Si exempla secutus
Invicti Capitis mox hæc & regna relinques,
Ut meliora petas: ipsis tunc cladibus aucto
Hæc tibi præ cunctis fuerit jactura triumphis.
Dixit, & absedens somnum, noctemque removit
Aureus, & melior subiit sententia Regem.
Nec mora consiliis; geminusque Orator olivæ
Prætendit supplex ramos, & fœdera poscit
Magnanimæ arbitrio Victricis . Substitit illic
Impetus objectu compesci nescius: illic
Emersit Danus, largoque invenit in hostis

Pectore, quod terris frustra quæsisset, & undis.
Nam, si quid secuit nimiis ex auctibus, Arcto
Reddidit ablatum communi, & præstitit Orbi
Publica restituens clausi commercia ponti.



LIBRI SEPTIMI


ARGUMENTUM.


Eginæ Matris cum Christinâ expostulatio, cui per Nuncium, ni properè ablegatis bellis domum redeat, dissidium, & diras minatur. Qualem Nuncius, & quo locorum Hanc repererit, & quâ temperie in mandato munere se gesserit. Ejusdem ad Dominam reditus, quæ, satisfactione rejectâ matrem exuit, atque hostem induit; sed turbas nequicquam concitare conata, inimicis animis, nec ultrà reversura Sveciæ finibus se proripit. Germaniæ Populis Austriacum sequentibus post Danos terrâ, marique insperatâ celeritate profligatos Christina fit formidabilior, uni tamen Cæsari acceptior, majorem sibi de majore Hoste triumphum promittenti. Idem copias auget, & recenset. Pars utraque ex composito Lipsiæ planitiem insedit, in quâ bellica lis transigeretur. Jam jam manus conserturis ostenta horroris plena ex improviso

objecta animos cohibent, & in castra revocant. Monstrorum causæ, & minæ. Quantum, & qualiter Reginam hæc affecerint.



LIBER SEPTIMUS.



AT Regina Parens post immatura Mariti
Funera conjugio Natæ fraudata propinquo
Implacidis animum carpebat turbida curis.
Illa quidem proprio satis ægra, & torva dolore,
Sed Stygis instinctu, tacitisque hortatibus Orci
Christinæ infensi, nullo nec tempore lætam
Passuri in præceps agitur, pejoraque versat
Fusiùs hæc recoquens: Adeòne invisa sinistris
Una Deis, ut sola forem Conjuxque, Parensque
Munere utroque carens: viduosque, orbosque dolerem
Perpetuò deserta dies, & luctibus ægros?
Conveniant hinc, inde Nurus, queis sorte jugali
Invidiosa fui; quantumque à cortice distent
Intima dignoscant, insanaque vota retractent.
Nempe superbifico magni dignata cubili
Una ego Gustavi, longè sum visa maritas
Ire super reliquas, quas erexere Triones
Murice distinctas, soliique in jura receptas.
Favisset meliùs, si me Fortuna locasset
Inferiùs; non, quòd nostræ non Conjugis æquè,
Sceptra manus deceant, & par non splendeat ortus;
Sed, quantum heroâ quòd surgens indole Conjux
Accessit Superis, tantum Tellure recessit:
Indulsitque thoro minimùm, perque aspera tendens
Dulcia contraxit genialis gaudia lecti.
Hinc, vix fœmineo Lucinæ munera partu
Non sat justa rudis libavit: versus in arma
Austria cùm subitò est; jam tunc vagitibus aula

Plena

Plena velut streperet, multusque adolesceret Hæres.
Ex illò in luctus senui. Lux nulla timoris
Expers præteriit, nullæ sine tristibus umbris
Cesserunt noctes, trepidove intacta tumultu:
Dum curæ ambiguæ saltem: mens ægra vacavit.
Ora modò fletu, maculis modò strata cruentis
Infecta, & gemitu turbata silentia longo,
Semper & Austriacis veniens Gustavus ab oris
Luridus, & multo proscissus vulnere pectus.
Donec aperta fides, & cladis nuncius actæ
Adfuit, & certos habuerunt somnia casus.
Tunc tacitæ patuere minæ; quæque intus habebat
Vaticinans animus, lugubria protulit extrà.
Splendida nec multa quòd mors est laude repensa,
Mitior advenit; pulchro nam funere quamvis,
Occidimus totæ, penitusque est vulnus adactum
Introrsum, subiitque animæ penetrale repostæ.
Hęc tamen in maribus minùs est jactura dolenda,
Bella quibus constant. Virgo quid mollis, & ętas
Sanguineo cum Marte rudis? Num vindicat unus
Christinam Genitor, studio quę instincta virili
Nil de matre trahit, penitusque à stirpe rebellat
Fœmineâ, & primis sexum trux exuit annis?
Atque ego sperabam tantę in solatia cladis
Hanc saltem superesse mihi, viduique futuram
Lenimen thalami, prolaturamque Nepotes,
Sarturamque Domum; nec dissensisse putaram,
Aut aliter voluisse Patrem, cùm pignore primo
Substitit à thalamis, Gentemque coegit in arctum
Hanc generi satis esse ratus. Tam justa petenti,
Spes interdictę, quò concessistis inani
Conatę ad Superos voto, frustraque modestis
Confisę in precibus! Nimirum matre repulsâ

Com-

Complexa eſt Patrem, totumque excuſſit, & hauſit.
Impetus hinc, potiùſve furor quoſcunque per actus
Dura ſequi, parileſque Choros, ſexumque minorem
Odiſſe, & teneris haſtas vibrare lacertis,
Succinctos geſtare ſinus, ſylvaſque per altas
Triſtia venatu meditari bella timendo,
Et tantùm armatę ſtudiis gaudere Minervę.
Sed tunc Naturę ſe vis prodentis, & ętas
Acris, & impatiens freni, Genitorque ſuperſtes,
Auſus & in precio; poterat nam velle videri
Blandiri Patri, mentemque efferre virilem:
Nec ſpes amota eſt verſuri in ſana receptus.
Nam, poſtquam Virtus temeraria ſuſtulit auſum
Non tentanda Virum, tranſmiſſaque ſarcina Regni
Ceſſit ad Hęredem: tanto eſt occurrere viſa
Robore ponderibus, penitus conſtaret, & iret
Altiùs ut Moles, nec quicquam mota labaret.
Arcta quies, curęque acres, parteſque per omnes
Mens vigil, & paci, belloque impenſa viciſſim,
Et ſuperans utrìnque vigor, ſeque acriùs urgens.
Nec dum Regnorum ſuſceptę prorſus habenę,
Juſque hauſtum Imperii, ſed normę in limine primo
Grande rudimentum, crudęque crepuſcula lucis.
Hinc ſpes erectę; quamvis me funera Patris
Juſtitio tranſacta brevi, propiorque triumpho
Actus honos Tumuli, redimitaque floribus Urna
(Mors adeò victrix viſa eſt indigna querelis)
Sollicitam tenuit; nullos nam ſexus, & ętas
Prodidit affectus; nec ſe vis ſanguinis egit
In luctus. Hinc difficiles per prona meatus
Conjectare fuit, nec pervia pectora juſtis
Naturæ ſtimulis, & reſponſura Parenti.
Cura tamen Regni retinendi, & ſtirpis habendæ

Successus sperare dabant in fœdus ituram
Conjugii, & socium lecturam in sceptra maritum.
Quippe minùs durâ populorum cœperat aure
Vota pati, flexusque rigor lactaverat omnes.
Jamque erat, ut certos fiducia proderet Arcto
Plena Deos; cùm lusa fides, omnisque repente
Spes discussa thori, mensque obdurata repulsæ.
Et, ne propositum quemquam non mite lateret,
Ante Aras, cùm festa dies, Vulgusque, Patresque
Conciti adstarent sumpti solemnia sceptri
Ritè celebrantes: quò contestatior esset
Trux animus stirpis dudum contemptor, & osor;
Abnuit æternùm tædas, & voce professâ
Civibus extinxit Regem, Matrique Nepotes.
Non stetit hìc crimen. Lucem invidisse Futuris
Lene nimis visum. Parcas urgere morantes
Institit, & Vivis per bella arcessere fatum;
Inque pares furias, cæcumque in mortis amorem
Seduxit populos, properèque erexit in arma:
Lectaque non fausti Germania Martis arena est.
Neve Mares tantùm contagio dira furoris
Hauriret: teneras etiam prolata Puellas
Corripuit; gladiisque colus cessere cruentis.
Obstitit incœptis Superùm dissensus, & iram
Prodigiis fecere palàm; sed Monstra secundos
Traxit in eventus, cladémque minantis abusa
Numinis admonitu damnatis institit orsis:
Perque mare eversum, per quod nec littora quisquam
Tenderet ad Patriæ, cursumque tenentibus austris
Rupit iter, dirumque malum majore periclo
Prendit, & hostiles incessit turbida campos.
Utque magis pateat non tantum prælia quæri,
A Patriâ quantum procul esse, & matre carere:

E bello

E bello seritur bellum, ne longa morarum
Tempora deficerent, seriesque exhausta labaret.
Additus est Danus, cum quo pax icta, nec ullæ
Irarum causæ constabant. Scilicet hostis
Haud satis unus erat. Prior hic, quia sanguine junctus,
Plectitur; usqueadeò nulli non noxia cedit
Proximitas, odiumque parit pietatis origo.
Præcipuè sumptis cursus sed quæritur armis
Plurimus, ut Genitrix sola, & neglecta senescat
Busta Viri juxtà, Natâ interdicta, suisque
Immoriens tenebris, atque omnis germinis expers.
Hauserat hos gemitus non longè dissita Nutrix
Christinæ; utque animum, mentemque coquebat Alumnæ
Infensam, hortatus ex quò in compendia Nati
Compositos (viduo prætendens utile regno
Conjugium) surdas frustra jactarat ad aures.
Ergo subit propiùs, tempusque, locumque nocendi
Nacta probat causam, stimulatque, atque aggerat iras,
Confunditque Patri Natam, cunasque, thorosque
Miscet, & alterni contemptum juris, & æqui:
Indigna imperium, Dominæ quod munere Nato
Contigit, atque ideò fato prærepta, videre!
Illius instinctu penitus demersa per omnem
Fortunam thalami Junonem culpat, & odit
Lucinam Genitrix (Nusquam non gliscit imago
Plurima dissidii) seque ipsam incusat, & ardet.
Et, meritò, exclamat; nam, quæ mea vulnera fovi
Projecta in gemitus, solisque armata querelis,
Contemni decuit. Sed non patiemur inultæ
Dedecus hoc ultra. Pudet heu, pudet hactenus ægro
Sedisse in luctu! Sed & hunc abolere pudorem
Acriùs insistam, summamque, & fœnora poscam.
Acta velut Boreâ per concita Cærula Pinus

Fluctuat, & jussos non ſat tenet ardua curſus.
Incidit impulſæ quòd ſi violentior Auſter
Flatibus adverſis, ceciditque excuſſus in undas
Rector: abit præceps, quà vis alterna labantem
Abripit, & dubio diſcrimine torta laborat.
Ergo ſibi Archimenen, cui pervia cauſa tumultus
Olim erat arcani, gemituſque, iræque patebant,
Imperat acciri. Primis hic junctus ab annis
Innuptæ cuſtos, mox in connubia miſſæ
Guſtavi hærebat fortunam utramque ſecutus.
Atque ait: Ulteriùs non eſt obſiſtere contrà
Curarum fluctus, præſtatque extrema movere,
Quàm ſegnes jam ferre moras. Vade, inquit, & æquor
Tranſgreſſus Natam ſua per deliria raptam
In præceps, ludique trucis caligine merſam,
Oblitamque mei, dictis affare ſupremis:
Non ideò ductum Guſtavi in pacta Parentem
Indulſiſſe thoris, & me junxiſſe petenti,
Ut crudam thalamo raptis poſtponeret armis,
Ceù nova non grati fugeret commercia lecti.
Sed, quando haud ſupereſt (nec iniquo funere forſan
Noſtra per Auſtriacos ulto faſtidia Fato)
De Conſorte queri: duræ ſordeſcere Natæ,
Cujus dimidium vivo mihi Tęda marito
Præſtat, & extincto totam tranſcribit, & addit:
Sęvius inceſſit, maceratque, & conficit ægram.
Poſſe pati volui; gladios ſed fortior illa
Ire truces inter, quàm nos divortia Natæ
Ferre procul poſitæ. Surdâ ſi reſpuet aure
Juſta repoſcentem: teſtor, contraria, teſtor,
Orſa ſequi pergam poſthac, pietaſque repulſa
Induet æternas juſtis diſſenſibus iras.
Dixit, & urget iter. Citus arripit æquoris undas
Nun-

Nuncius, & properè Germanis applicat oris
Aspera dicta ferens; & jam victricia castra
Christinæ ingreditur. Certis ibi singula cernit
Disposita ordinibus, primosque morantia nutus
Ductorum. Surgit firmi custodia valli:
Stat tormentorum series digesta tonantum
Hostis ad occursum, latèque in fronte minatur.
Pone Vigil. Nil fœmineum, nil deside curâ
Tractatum. Trepidant hilares, & frena terentes
Cornipedes: ludunt spiræ, cristæque comantes
In galeis. Nullus turbæ discursus, & error,
Nullus ibi fremitus, tantisque licentia turmis
Nulla. Puellares statio discreta catervas
Segregat. Arma nitent, hastæque, ensesque, tubique
In promptu, & pulchri certa undique norma Gradivi.
Ipsa autem elatâ discludens casside frontem
Augustùm Christina micat, lenique, gravique
Temperie alterni miscet confinia vultus
Mitibus Imperiis, & majestate serenâ.
Vere novo qualis puro Sol aureus orbe
Incedit non igne furens, nec frigore languens
In nimio; radiis sed vis se mascula justis
Dispensat, subigitque nives, flammasque coercet.
Obstupet Archimene specie perculsus honorâ,
Despondetque animos, & jam non amplius audet
Cœpta sequi; quin propositi, si cominus adsit;
Pœniteat Matrem, sileatque, aut blanda loquatur.
Agnitus accedit, dextramque inclinis adorat
Fatiferam: causamque viæ læto ore rogatus,
Utque sibi in salvâ valeat fortuna Parente:
Maternos animos, & publica verba profatur,
Nilque ibi non constans, pronosque in singula Divos;
Cætera semotas differri poscit ad aures.

Cumque aditus patuit: non iras ille, minasve
Prodit, & immodicos materni pectoris æstus,
Sed gemitus, fletusque pios, & vota citati
Regressus; animo ne contabescat anhelo
Vis ægra, & longis impar mens anxia curis.
Nec tacuit crevisse metus crescente periclo:
Quando parùm veluti bellorum nacta per hostes
Teutonas in Danos inopinum strinxerit ensem
Fœderis haud retinens, pejùsque infensa propinquo.
Mox, ubi permotam vidit, nec lumine sicco
Languida succiduæ Genitricis corda sequentem:
Ulteriùs subiit non gratis blanda vicissim
Callidus alternans, nec quidquam liquit opertum,
Præteritumve sibi: veniam tamen ante precatus
Sæpiùs, atque ausis prętendens jussa parentis.
Scilicet Arctois multum pietatis in oris
Ire retrò, atque auctâ feritate irrepere tristem
Barbariem. Nam quis (subdit) te in bella ruente
Nunc hùc, nunc illùc, in quâ Domus alta recumbit
Omnis, & immensi constat spes unica Regni,
Ferre velit pacem, studiisque vacare quietis?
Quin tua sublatis animis exempla secutæ
Undique, ubique fremunt, & tractant arma Puellæ.
Nec jam cura thori, nec jam reverentia patrum
Ulla. Negant sisti, magnoque authore tuentur
Insuetos ausus, laudemque à crimine poscunt;
Raraque venturis operatur Fœmina sæclis.
Has tamen, ut primùm te Matris ad oscula reddes;
Ocyùs in melius referet, lapsasque reponet
Temperies. Tu cuncta regis; Te cuncta sequuntur.
Pertulit effusum defectæ obnoxia matri
Regina, atque iram sedata hæc reddidit infrà:
Haud equidem miror, nostri si Mater amore

Proci-

Procidit in nimias animo mærente querelas.
Et mihi, si gravibus mens non foret obruta curis
Martis, in affectus forsan lapsaret eosdem.
Parciùs afficior, quòd non exposta periclis,
(Ut decet, & merita est) securâ regnat in Aulâ.
Utraque poscit idem, metamque ardemus ad unam:
Jungier, & nullo duci in discrimina casu.
Sed mihi, quò meliùs contingant justa quietis
Gaudia, non placidos belli transire per æstus
Æquum erat, & dubiâ sudare in Martis arenâ.
Anne pati possem residis pigra ocia sceptri,
Intercisa Patris cùm mors inopina teneret
Gesta citò rapti, nomenque, & fama labarent?
Dulce est Matre frui non discordante Parente
Magnanimo, & nobis authore & lucis, & Ostri.
Hic mihi causa moræ: prior hic, & primus habetur;
Nec patri impensos matrem damnare recessus
Credere sustineam. Scelus est in Conjuge discors,
Proximiorque sibi Conjux, oblitaque nexus.
Hæc satis ad Matrem. Sed quò vox impia tendit,
Sævitię quę nos, & nostra coarguit acta?
Parciùs Austriaci peccet censura, furorque
Æmulus, & nostris quicunque obvertitur armis;
Namque suum fas hostis habet. Tu, Diva, superni
Primęvum, summumque Poli numenque, decusque,
Mitte pios radios, & iniquas disjice nubes.
Nempe ego nil unquam, nil sum meditata, nec orsa,
Quod non dictaris, Pietas, & criminis expers
Monstrarit Virtus, infirmo lumine quantum
Ægra potest acies conari, & tendere vires.
Impulit hoc truncos Patris supplere triumphos:
Teutonas hoc nobis fisos, partesque levare
Prolapsas, dextramque vadem præstare parentis

Pollici-

Pollicitis, nomenque simul, finesque tueri.
Quòd si directos aliò convertit in Arcton
Armorum cursus Mars alter: Dana coegit
Flectere noxa vias, fideique, & sanguinis unà
Contemptus, pejusve nefas pietatis in umbrâ.
Causa duplex Regum susceptis obstrepit armis,
Nullaque non justos commendat Fama triumphos:
Scilicet immanis feritas, dulcisque cruoris
Haustus, & expleri ignarus. Vel iniquus habendi
Ardor, & in nullo consistere limite votum
Sat patiens, majorque fames crescentibus escis.
Noster abest longè, vitioque immunis utroque
Incedit Mavors, & ab omni vindicat actus
Crimine, nec condit maculosum degener ensem.
Testis palma recens. Jacuit terrâque, marique
Utraque vis Dani, nec spes erat ulla salutis
Undique protrito. Regnat tamen ille, vigetque
Integer, & nostræ patriam, sceptrumque receptum
Munus habet veniæ, numeratque in prospera vinci.
Austriacos contrà parili Bellona tenore
Nostra feret sese, nimios si contrahat hostis
In socios juris cursus, & laxet habenas.
Sed quorsum populos, sexumque in bella minorem
Traxisse insimulor; meritumque in crimina vertit?
Martia laurigerûm num per vestigia Patrum,
Orbis quos tremuit, legesque, & frena recepit
Totus, & ipsa etiam submisit Roma secures,
Vandalicam Sobolem non sit duxisse decorum?
Esse nefas rebar generosas frangere mentes,
Inque Nurus mollire Mares; at in arma vocare
Fœmineas dextras, justisque aptare trophæis
Hoc decus, & laudem, meritumque immane putabam.
Quin gentilis honos, & dos antiqua puellis

Hæc

Hæc fuit Arctois; namque hinc processit origo
Pubis Amazoniæ peltis insignis, & arcu,
Et formidatas molitæ in bella bipennes.
Sed jam multa nimis. Charæ te redde Parenti,
Et solare moras. Dic me, cum Cæsare bello
Transacto haud pigrè redituram (lenta reverti
Ad sceptra in præsens, arreptis turpiter armis
Diffisam dare terga foret.) Dic fœnore pulchro,
Fœmina quæ cessi, verso per fortia sexu
Venturam virtute marem, nec Patre minorem.
Dic Populis auctos opibus, famâque futuros
Indigenas reduces, totidemque Heroidas Arcto;
Adde, reversuras, quot discessere Puellæ.
Substitit, atque animo quamvis præfata quieto,
Mite, sed Imperii plenùm, lux cærula fulsit.
Ille nihil contra; blando sed cernuus ore
Suppliciter dictis plaudit, celerique recursu
Alta remetitur pelagi, Dominamque revisit;
Christinamque refert animis, atque actibus æquè
Altiùs efferri, quàm sit dignoscere promptum
Hostibus, & Sociis, num sit Mortalis, & ægræ
Consors naturæ; nedum vestigia sexus
Prendere, nec natos tractanda ad tela lacertos.
Vis, ait, hinc gliscens, & metæ nescius ardor
Abripit immodicam, reditusque in Regna moratur.
Salva tamen pietas latè est (subjecit) & unam
Te cupit, & memorat; nec, post dispendia Marti
Debita cessabit, totumque hìc exiget ævum.
Hactenus Archimene; poteratque utrìnque videri
Consuluisse probè. Sed enim tolerare receptus
Impatiens Genitrix dilatos (singula quando
Inficit, & pejùs Styx asperat) acriùs iras
Aggerat, & toto dispellit pectore matrem;

Et

Et modò civili populos agitare tumultu:
Regna modò, & gentes excire in bella propinquas,
Æmula quas Sveci torquebat gloria ſceptri,
Cogitat, & cladis quicquid mens concipit, hoſtis
Cocyti inſtinctu, proprioque incenſa dolore.
Sed via conatus cùm non procederet ulla
(Namque hoſtes, Civeſque ſimul capere arma vetabant
Hinc amor, inde timor) diſruptis undique frenis
Prorſus, & inſanas impar ſedare procellas
Exceſſit Regnis, ſceptrumque, domumque peroſa,
Et ſibi creſcentes Natæ indignata triumphos
Triſtis in externis torvum caput abdidit oris,
Uſque adeò nocuit non fida in dogmata merſam,
Tendere per præceps, & ſe indulgere tenebris.
Nullius haud equidem fuit hæc jactura doloris
Chriſtinæ, cui bella Patrem, deliria Matrem
Diversâ rapuere viâ, ſolamque reliquit
Pernicies duplex, & non redimenda marito.
Non tamen infenſæ furiis, abituque parentis
Paſſa eſt imminui quicquam Guſtaida Virtus
Altera, ſed melior Genitrix, & ſedula cuſtos.
Quin Dano oranti veniam quodcunque remiſit
Ipſa ſui victrix, auctu majore redemit,
Addidit & precium precio. Nam fama ſubacti
Tam ſubitò, victoque datę cum fœnore Pacis
Germanis latè gemino profecit in oris
Mox reduci ingenio. Nam, quos modò cęca cupido
(Dulcis inexpertis) avidos rapiebat in enſes:
Cladibus auditis Danorum, & pręcoce fato
Deſpondere animos, aut ſegniùs arma tulerunt.
At, quibus in dubio mens hęſerat, ilicet omni
Marte quies potior, ſubituſve acceſſus ad Arcton.
Qualis in Eois poſt prælia prima Lyęus

Gran-

Grandior incessit campis, Gentesque superbas
Perculit impubis spernentes ante juventam
Oris, & admonuit metiri à viribus annos.
At non Austriaci quicquam mens alta remisit
Ductoris; lætusque sibi cum Virgine tantâ
Certandum, Ducibusque decus, famamque futuram
Ostentans acies numerat, digestaque rursus
Agmina sollicitè censet, seque expedit hosti.
Quòdque modò in Danos martem transegerit actu
Tam subitò, bellumque duplex absolverit ante,
Ipse laboranti quàm cursu præpete lectam
Approperarit opem: Christinæ hòc cautior ausus
Perspicit indomitos, & se metitur ad Illam.
Non secùs Arctois moturus belli pruinis
Æmulus adverso qui tollitur, Auster, ab Axe:
Usque sub Auroram, Solisque cubilia vires
Concitat in Borean, Zephyrumque, Eurumque furoris
Sollicitat socios, atque auctis flatibus instat.
Huc ibant, populos præter telluris Avitæ,
(Unde genus, nomenque Domûs) quos Causa, Fidesque
Nexuerant, fœdusque novum divulserat Arcto
Funere Gustavi trepidos, quasque addidit Ensis
Austriaco gentes, & Tæda potentior ense.
Pæones hìc aderant, Carni, Mysique, Boique,
Belgaque nunc septem contractus in agmina miles:
Sardoæ, Siculæque manus: quosque inclyta Musis
Parthenope Cives Marti transcripsit, & Ora
Insubris inferior cœlo, non ubere glebæ
Deterior, pubesque Italûm, pubesque Quirini
Anxia pro Superis, & sanguine junctus Etruscus.
Lipsia jam pridem largo saturata cruore
Orbis Hyperborei: Germani Martis arena,
Vandalicique simul spacio protenditur æquo

Camporum, tractuque sedet porrecta patenti
Amnibus irrigua haud parvis; sed latiùs Albis
Funditur, & lævam numerosis irrigat undis,
Ditiaque exercet commercia; namque propinquam
Hàc Saxon confinis adit, sed Misnius illàc:
Palladis alternæ studiis celebrata; sed olim
Fama minor pacis; postquam Bellona vocari
Prætulit, & trepidæ lituos fugêre Camœnæ.
Huc, veluti Ducibus sic convenisset utrisque:
Adversas acies, infensaque signa tulerunt.
Area quæque suum cœpit Par æquore secto.
Sed vacat in medio tristi selecta duello
Planities, dubiamque tenens Victoria laurum.
Musa, quid accensas vicina in bella catervas
Continuit, fregitque animos, subitoque timore
Perculit indomitos, & proxima fata diremit?
Nondum plena dies, & nox toto æthere pulsa:
Directæ ardebant cùm duci in prælia Partes,
Urgebantque tubas. Sed, dum certamen anhelant,
Exertantque manus, intentaque tela minantur:
Turbidus Arctois de partibus ecce Cometes
Versus in Occiduas furiali crine serenum
Incestare Polum, trepidasque irrumpere mentes.
Una nec attonitum latè Coma terruit orbem;
Æthera sed geminæ mox infecere Sorores
Igne pari; diràque minas auxere coborte.
Quis Deus insolitis contristat sydera flammis?
Quæ terris ventura lues? Quas nunciat iras
Cælicolùm per inane Jubar? Telluris amicæ
Num pius assiduis permotus cladibus Æther
Prospicit immeritis, & monstro territat ausus?
An cupidas præit ipse manus, & præcipit enses?
Hi gemitus per utrasque acies; pallorque, pavorque

Ingruit,

Ingruit, & geminas frangit par cura phalanges.
Hinc pariter compressus amor certaminis ambas
Continuit partes, hominumque coercuit iras
Major ab Axe furor; tristi perculsus ab igne,
Dum sibi quisque timet; tantâ nam lampade nunquam
Institit, & tanto suffusus sanguine crines.
Ecce metus alii; subito nam percitus œstro
Auguriis jam notus Acron proruptus ab antro,
Quo domus, & vetitâ subducti à luce penates,
Constitit in medio, partique auditus utrique
Hùc conversus, & huc, specieque horrendus, & ore
Humano majora sonans luctata recludit
Verba diu, & dubiis defigit vocibus aures:
Quod me Numen agit? latebræque domesticus horror
Quò turbatus abit commercia dira perosus
Terrarum? Frustrà iratis quid legor ab astris
Infelix Vates, & nullis creditus orsis?
Irrita quid promam? Sed, si proferre futura
Cogimur in pœnæ cumulum, Sontesque jubentur
Jam prævisa pati, cladisque in imagine plecti:
Audiat extremo quæcunque in cardine tellus:
(Nam quæ jam tellus non sons, & digna piari?)
Audiat, & Superûm sua crimina pendat ab irâ.
Ecce triplex Cælo funesto crine Cometes
Indicit ferale malum, Terrasque nocentes
Fertilis in pœnas non uno territat astro.
Heu quantâ populis incumbent fata ruinâ,
Si tot ab excelso venturi signa coruscant
Exitii! Nec vana fides, nimiique pavoris
Impetus horrendæ lymphari lampados igne.
Scilicet, æstifero seu sit vapor excitus Austro,
Adscitusque Polo, seu fax modò nata supernis
Orbibus, & primùm rutilos nunc orsa meatus,

Seu longum perpessa situm, neglectaque tandem
Adverso de sole micat: seu comitur una
Stellarum de plebe soror, nec crine soluto
Noscitur: ah! semper miseri per funera Regum,
Eversasque Urbes, fœtumque furoribus Orbem
Vidimus infaustùm terris arsisse Cometas.
Nempe diu sontes cùm tandem plectere gentes
Apparat, & longùm pressas erumpit in iras,
Hæc profert vexilla Polus. Fatale coruscat
Vix jubar, & dulci Tellus caret ægra sereno.
Ergo vel extremos Terra expirabit in ignes,
Vel maris assultu penitus demersa latebit.
Sin minor ira premet, Cæli corrupta veneno
Tabescet, fusove diù per bella rubebit
Sanguine, vel dudum sterilis commissa necabit
Semina. Non lucent terris leviora Cometæ.
Ante sed hæc tulimus; nec tot fax ulla furores
Prodidit: humano veluti vulgare pararent
Astra malum Generi; tolerandaque fata nocerent.
Nunc, quasi non possint uno tot vulnera terris
Sydere portendi, triplici rubet Axis ab astro
Turbidus, & ternos firmat ventura per ignes.
Et meritò pejora manent; si crimina pœnæ,
Si cladis mensura nefas. Sed Numina cur non
Expediunt manifesta scelus? Num victa pudore
Criminis, & dirum dubitantia prodere monstrum?
Causa latet; totum sed tanta piacula monstrant
Humanum peccasse genus, Naturaque noxæ
Arguitur, ceu nulla vacent à crimine Regna.
Ergo coronatos urget fax prima Potentes:
Proxima vicinis instat funesta Dynastis:
Tertia Vulgares convectat fœta ruinas.
Partitæ versant populos, transmissa timore

Ne sors ulla vacet. Differt, sed fulgurat igne
Quæque rogi, certatque polo, cui gloria major
Cesserit exitii, quo plus decrescat ab astro
Terrigenùm per damna genus, cui latius orbis
Concidat eversus. Pugna est de funere Mundi.
Tres velut immanes properant ad septa leones,
Quos hesternâ fames, rabiesque insana cruoris
Horrendâ de rupe citant: hic dente superbo
Custodes, ferrumque petit: vorat ille molossos:
Tertius effractum latè populatur ovile.
Dixit, & abripiens sese externata reliquit
Agmina. Jam nulli tremefacto in pectore vires
Sufficiunt; ipsique Duces retro arma tulerunt.
In tanto nec turpe fuit differre tumultu
Naturæ Mavortis opus, Cælumque vereri.
Utile justitium sic mutua damna diremit,
Crinitumque Jubar tunc primùm profuit Orbi,
Sontibus & terris intercessere Cometæ.
Nulla sed inde quies: animis trepidantibus instat
Infaustus Vates; omnique in nocte videntur
Multiplicare faces, & spargere latiùs ignem.
Plurimus ergo metus, nullisque interrita durant
Pectora prima viris. Nec solùm monstra timentur
Æthereas succincta minas, sed tuta, diùque
Visa, & nota priùs. Potuit timor anxius omnem
Infecisse polum, diroque armasse veneno
Innocuas errore faces, dum cernit ubique
Triste jubar monstrante metu, ternumque per astra
Singula partitur crinem. Mens cæca pavore
Quò non abripitur! Sunt qui tua lumina damnent
Ignari, radiosque pios, lucemque benignam,
Hespere, devoveant; nimiùm quòd divite flammâ
Aureus incedas, largèque impenderis Orbi.

Sed

Sed longas non passa moras portenta furoris
Desuper instantis, monstrumque immane reclusit.
Centeno Fama ore loquax latè undique circùm
Gentibus attonitis, nec sat credentibus ingens
Patrari potuisse nefas, nec vindicis ignis
Tam lætis fugisse minas (quod posceret Æther,
Scilicet illud erat) quàm corda horrore profundo
Correptis, scelerisque haustis ab imagine sacri.
Quippe per insanos dudum bacchata tumultus
Seditio, atque olim civili imbuta cruore
Britannici Regis parricidium publico supplicio perpetratum.
Crimen inauditum tandem, nullisque piandum
Suppliciis est ausa nefas. Nam rumpere justum
Non contenta jugum, conjectum in vincula Regem,
Cui jurata fides, & nullo crimine sontem,
Luce, palàm longi fædum de fornice claustri
Protulit, & sacrum diro Caput ense recidit,
Infecitque diem, Thebasque abolevit, & ipsas
Absolvit refugo damnatas Sole Mycenas.
Imperat in gemini fœcunda Britannia campis
Oceani, titulisque tribus tria sceptra minatur
Nunc unâ tractata manu. Neve Insula dici
Perferat, alterius nomen sibi vindicat Orbis
Divitiis animosa suis. Natura Gigantes
Protulit hîc etiam, nec Flegræ invidit honori.
Postmodò contraxit nimios composta colossos,
Assuetosque hominum prudens descendit in artus.
Prodiga sed tantâ distinxit dote colonos
Oris, ut in nullis sit visa decentior unquam
Vultibus, & lectis penitus se compsit in Anglis.
Attamen in seros manarunt prima Nepotes
Semina. Durat adhuc truculentâ in plebe rebellis
Impetus, & faciles, pronæque in funera dextræ,
Impatiensque jugi cervix, cæcique tumultus,

Con-

Contemptuſque Poli, ſubitique in ſceptra furores.
Illa igitur nuper (quod latè exhorruit Orbis
Attonitus, viſuſque aliò deflexit, & ora)
Ipſius in Regis cervicem ſuſtulit enſem,
Vittatumque caput Cœlo ſpectante rotavit.
Cœpit ab hac ſubitò ſpirare nocentior aura
Funeſtâ de tabe trahens lethale venenum,
Quale nec infernâ miſit de valle refuſum
Tænarus, aut medio reſidens Amſanctus in Orbe.
Avertere oculos quocunque in cardine gentes
Littore ab infecto, velut inde erumperet Ignis
Lethifer, aut diro Gorgon ſe proderet ore.
Quæque in fine viæ vento impellente per undas
Vela dabant puppes, clavum ceſſante magiſtro
Sponte retorſerunt; nec dum patuere Nocentes.
Conſtitit Argolicas tunc illuſiſſe Camœnas
Mentibus ignaris, & per commenta locutas.
Nam neque Sol fugit, currumque retorſit in ortus
Crimine damnato, ſed nec cognata poteſtas
Surrexit Regum, pœnaſque armata repoſcit.
Una Caledonias ſenſit Regina Trionum,
Ut decuit, furias, juſtaſque exarſit in iras:
Impatienſque moræ curſus oblita propinqui
Hùc animo convertit iter, Germanaque bella
Poſthabuit, dextramque tibi porrexit inermem,
Cæſar, & haud aliâ pacem mercede paciſci
Indulſit, quàm pace bono majore, Polumque
Non minùs, ac Terras merituro, atque utile Regnis.
Scilicet ut properis, & in unum claſſibus actis
Tenderet in ſontes, & latè vindice ferro
Mars pius immensâ deleret ſtrage nocentes.
Nec Cæſar ceſſaſſet iners; ſed robora quando
Tot captura viros, & ſuffectura pararet

Æquo-

Æquoreis ſummotus aquis? Spes proxima laurus
Forſitan, & cupidâ præceptus mente triumphus
Obſtitit, & ſocios, collectaque ſigna morari
Difficilis, dubiuſque labor: ſeu Numina nondum
Germanis ſatiata malis, coeuntibus armis
Inſeruere moras. Quòd ſi placuiſſet utrique
Fœdus, & oblatæ ſanxiſſet pignora pacis
Nobile conſilium; fumaſſent Anglica juſtis
Ignibus, & largo luſtraſſent Regna cruore
Non invita nefas; nec plus peccaſſet Erynnis
Impia, quàm pęnas æquatâ clade dediſſet.
Tanta ſed in ventos ierint, atque irrita quamvis
Vota; decus manſit; nec, quod non diſtulit Illa,
Fama tacet meritum: terraſque vagata per omnes
Gloria magnanimæ proclamat Virginis auſum.
Non tamen abſtinuit vario molimine partes
Concuſſæ relevare Domus auctura favorem
Pleniùs, & Claſſes pariter miſſura, Duceſque,
Alea Germani cùm jam tranſacta Gradivi.
Interea fatis indulſit triſtibus ægrum
Juſtitium, & lacbrymas, & magni pectoris iram.
Reginæ hærebat ſpolio mentitus Amintor
Fortunam (Myſta ille ſacer, nemoriſque colonus
Vandalici) quò tracta ferâ ducente receſſit
Regina, & tuto noctem defendit in antro.
Gnarus enim fati, Cęloque hortante reliquit
Speluncæ latebras, & belli verſus in uſum
Conſilio, & dextrâ meruit per utrumque probari.
Nam genus, & varii longa experientia martis,
Duratuſque diù crudæ rigor ille ſenectæ
Ingenium, vireſque dabant; & certa favoris
Mens ſuperi in nullis unquam defecerat actis.
Ille etiam nuper dubio in certamine Ponti

Texit

Texit herile latus telis expoſtus, & igni.
Quin ſe præcipitem primus dejecit ab alno,
Ut properaret opem Reginæ fluctibus hauſtæ:
Et tulerat, cuiquam ſi ſe Chriſtina redemptam
Deberi poterat, cui dos creviſſe periclis,
Et ſibi, non alii, diſcrimina victa referre.
Inde fides, atque auctus amor: Dominæque potentis
Conſilio adſcitus, caſuſque auditus in omnes.
Hinc pulcbros proferre dolos, Myſtamque fateri
Confiſus placuit, veniamque invenit ab auſu
Carior, atque altæ non uno mentis in uſu
Selectus: ſeu Martis opus, ſeu pectoris æſtus
Volueret ancipites, patriique ad limina Cæli
Veſtigaret iter, certoſque ad Sidera curſus.
Ergo ubi funeſti patricidi Heroida mœſtam
Vidit in obtutu, momentum nactus amicum,
Triſtem pronus adit, vultuque hæc ſupplice fatur:
Pone gravem luctum, ſi fas Regina precari;
Nec ſic pollutæ rapiant te crimina gentis,
Ut non ante vacet juſtos deprendere Divos,
Primaque funeſtæ cognoſcerê ſemina cladis.
Non ego tergeminæ Te per veſtigia flammæ
In ſuperos ducam; puro ſed lumine pandam
Certus iter dubium, Cælique arcana recludam.
Nam, licet Ætherei ſint argumenta furoris
Inſolitæ per inane Faces, iraſque loquantur
Cælicolûm: non inde tamen dignoſcitur, unde
Irrubeant Superi, vel quos Lux advena poſcat.
Ira aliter quærenda Poli, cladiſque futuræ
Exortus. Terræ nunquam ſuccenditur Æther,
Ante laceſſitos quàm non hæc provocet ignes.
Et, niſi ſollicitum venturi crimen amaret
Condier in tenebris, altâque in nocte perire:

Non priùs infectis placuisset Gentibus error
Noxius, instantem quàm mens sibi conscia multam
Cerneret, & meritas Superûm distingueret iras
Admonitu cessante Poli, nullisque Magorum
Indicibus numeris, seque exertante Comete.
Neglectus Divûm cùm primùm polluit Anglos,
Castaque Relligio cessit temerata Britannis
Finibus, ex illò Patrum pia jura perosis
Hæc fuerat speranda lues. Astræa profanos
Odit, & in præceps urget deserta Rebelles.
Nec noxæ immunis Rector; namque objice nullo
Obstitit, aut lento plebi in pejora ruenti.
Quid, si sacrilegos scelerum consensit in ausus?
Non tamen insano permissa licentia Vulgo
Regis in exitium vittati. Totus ut Æther
Sontibus incumbat; nunquam par pœna sequetur
Æquatura nefas, & responsura furori.
Nec, si promittant crinem suffusa rubore
Sidera, convexo quotquot volvuntur in axe,
Pro meritis rubeant, & digna piacla minentur.
Sed stirps una mali: quoties contempta recessit
Prisca fides Patrum, toties latè aggere rupto
Pulsa quies, cæcique animos vertère tumultus,
Altaque mutatas agitat discordia mentes.
Pleniùs ut teneas, quantum discriminis inter
Hæresis horrificat maculis quos impia nigris,
Et, quos Relligio albenti distinguit amictu:
Ne pigeat perferre moras, & vera daturis
Impendisse iterum faciles narratibus aures.
Ultimus Oceani quà fluctus respicit Atlas
Exterior, retrahitque pedem: protenditur ingens
Terrarum spacium, fuscisque habitata Colonis
Alluit arva Niger, quo Nilus fonte redundans,

Sed

Sed penitus vario rediturus in æquora lapſu.
Monſtrorum fœcundus ager. Tamen incola Congi
Fertilior ſcelerum; namque expers juris, & æqui
Graſſatur feritas, & mentes regnat in omnes.
Quin etiam, dapibus cùm gens epulatur opimis,
Mutuaque exercet feſto convivia cœtu;
Criminibus fruitur. Nam cive, aut hoſpite cæſo
Sola Lycaoniæ dignatur fercula cœnæ;
Helladis ut ſubeat mirari inſana vetuſtæ
Commenta, & nullo mendacia texta pudore,
Cùm finxit Divos, aſtris ſi quando relictis
Viſere Terrigenas, genioque vacare juvabat,
Æthiopum celebraſſe dapes, & longa levaſſe
Nectare contempto ſuperæ faſtidia menſæ.
Has ſemel ignotas Pietati, atque igne triſulco
Sat nunquam gentes plectendas ſera reviſit
Relligio: (pro parte tamen, nam dira ſuperſunt
Interiore plagâ retinentia germina ritus
Infandi.) Utque animos afflavit cominùs aurâ
Ætherea; ex omni ceſſerunt pectore monſtra,
Altaque Barbaries pulſa eſt natalibus oris,
Succeſſitque Fides, radiceſque egit in illis
Juſtitia, & poſitâ Lex conſtatura ſecuri.
Hinc verſi in normam populi, lætique nefandos
Non ſolùm damnare cibos, ſed frena ſubire,
Et profecturo mores cenſore doceri.
Temperies non una Jugi; nam diſpare vinclo
Imperium paſſi; Regum ſed prima poteſtas.
Quamvis præcipui parerent ſponte Dynaſtæ,
Obſequiumque fidem, non vis armata juberet.
Nec Natura dabat, ſed libera vota, Tiaram.
Alvarus hos nuper populos ditione tenebat,
Quem ſupremus honos rerum præfecerat Arci.

Histor. Alvari I. Congi Regis, cui Alvarus II. & III. Germani fratres ab eodẽ bello petitorũ, & ejusdem Victorum, servato ætatis ordine, successerunt in præmium moderationis, & continentiæ.

Oderat hic geminos primo de sanguine Fratres
(Usque adeò extremi norunt se frangere Reges.)
Noxia nam tanti vis, & concordia nexus
Sceptris visa suis, nec sat confessa minores.
Ergo bella parat; sed non oppressit inertes
Martia Germanos tempestas. Itur in arma
Viribus infestis, atque alea judice præceps
Ense cadit. Regis jacuerunt signa sub hoste,
Plenaque fraternas auxit victoria partes.
Nam post disjectas infausto Marte catervas
Alvarus ipse etiam sudore, & pulvere turpis
Incidit in Fratres. Quos non Bellona favore
Prospera tam pleno placidâ de mente tulisset
Præcipites? Ultrò poterat Rex ipse cruorem,
Si foret immunis probri vindicta, pacisci.
Sed pia tam pulchrè mentes formaverat illas
Relligio, ut magno maior, meliorque triumphus
Turbinis in medio, crudâque in strage placeret.
Casibus attonitum, vicinaque fata paventem
Circumstant Regem; sed nullæ in jurgia voces,
Nullæ in fronte minæ. Pariter submittit inermes
Frater uterque manus, & flexo poplite pacem
Cernuus exorat, Majestatemque jacentem
Respicit affusus. Non his contenta resedit
Obsequiis pietas. Fractum, nec stare valentem
Brachia connexi in sellam parcente meatu
Vexere in Solium, tutique & sceptra tenentis
Rursus adoratæ fixerunt oscula plantæ.
Par operi merces; nam postmodo Rege peracto,
Ordine servato vacuam subiere curulem
Nobile par fratrum; quamque erexere cadentem,
Extulit ad meritum Majestas grata cacumen.
Non minùs æquâ manet fontes mensura Britannos.

Nam,

Nam, qui Rectoris pollutum sanguine sceptrum
Nunc sibi promittunt, patricidi præmia sacri:
Devoti, invisi, lapsisque in rebus egeni,
Turpiter enecti, vel ferro vindice, Regis
Mactati ad tumulum, jussique carere sepulchro,
Longa procellosis debent ludibria ventis.
Et quota promeritæ pars hæc, & portio multæ?
Altera nam finem sensura piacula nullum
Excipient sontes; perque omnes differet ultrix
Pœnarum series, & semper crescet, Erynnis.
Scilicet hos mores infecta, aut pura vicissim
Relligio inspirat, meritumque hac lance rependit.
Dicentem vario sequitur Regina tumultu;
Nunc pallor, nunc ora rubor permutat, & altè
Indicat illatum species alterna tenorem
Dissimilem. Sed nulla magis momenta, vicesque
Hausere intentam, Plebis quàm frena solutæ
Regi injecta manus, temerataque Purpura diris
Ausibus, & lenti spectata in crimina Divi.
Hìc tota infremuit, radiosque erecta coruscos
Impulit. Infidos si par arsisset in Anglos
Majestatis Apex, haud tollere cornua contra
Vidisset turbas, propiùsque accedere Sontes
Infelix Rector, sed flexo poplite pronas
Tendere cervices, atque expectare securim.
Hinc vacat alternos sedata expendere ritus,
Diversosque animos conferre; & nube remotâ
Suspicit antiquas, & jam complectitur Aras.
Sed propior Martis magna in discrimina versam
Cura vocat mentem, vicinique admonet hostis.
Vertitur huc igitur, vultumque, animumque reducit,
Lipsiaque insedit motis prior arva catervis.
Ipse, ubi collegit sceleris furialis ab ausu

Turbatum Cæſar pectus, Cælique pavorem
Dedidicit Miles comperto authore minarum:
Agmina convertit, totuſque in imagine pugnæ
Non ceſſaturam magni certaminis horam
Expectat; dubioque ſubit Spes mixta timore.




LIBRI OCTAVI

ARGUMENTUM.



ACierum ordo, & digeſtio. Cæſar, & Regina Milites alloquuntur. Incurſus, conflictus, & varii, nec opini, caſus. Pugna non ſemel inſtauratur, ac recrudeſcit; & tandem Chriſtinæ Victoria contingit ſalvâ penitus dignitate Cæſaris omnia in prælio experti, & confeſſione etiam hoſtium ſummi Ducis, & Militis fortiſſimi cumulatiſſimas laudes jure optimo promeriti.

LIBER OCTAVUS.



LUtea sed nimio bigas suffusa rubore
(Signa mali) Cæli tractus Aurora subibat
Eoi: & latè rorata aspergine Tellus
Sanguineâ, insolitos demirabatur amictus.
Apta dies avidas ducendo in prælia turmas
Visa: nec ulteriùs cunctata est alea fati;
Hesternus puro nam Sol discesserat orbe,
Et nitidos rutilo promiserat ore recursus.
Timpana jamque moras, lituique, tubæque per auras
Excutiunt, vigilesque vocant ad signa catervas.
Surgitur in Martem: membris trepidantibus aptant
Thoracas: gladiosque truces, hastasque, tubosque
Ignivomos (plumbo quamvis, & sulphure pugna
Parciùs instructa est, Virtus quò pulchrior esset)
Explorant; teloque fides tentatur in omni.
Hic sublimis equo volucres glomeratur in alas:
Hic pedes in stabiles properat de more maniplos.
Cornua quadrupedes, medium tenuere phalanges,
Fœtaque fulminibus primâ sub fronte locantur
Æra; Aquilas tollunt hæc Signa, ast illa Leones.
Multus in ambabus communis gentibus usus
Alterius linguæ, commistaque nomina; victor
Ex quò per varias spaciatus Vandalus oras
Inservit domito peregrina vocabula mundo,
Mutua vel sumpsit, patriumque revexit in axem.
Agmina Teutonidûm (nam Svetica castra secuti
Hic quoque constiterant;) ne quid civilis haberet
Criminis incursus, Ductorum cura removit.

 Civis

Civis ab aspectu; diversoque obtulit hosti.
Pulchra seges ferri, faciesque decora pericli;
Nam nitor in clypeis, galeæque hinc inde comantes,
Compositusque furor, nullâque in parte tumultus.
Constitit Augustus clivo sublimis in alto,
Affusosque Duces, versasque ad verba cohortes
Alloquitur, magnisque animos hortatibus implet:
O', cui Romuleæ de tot cessere secures
Gentibus, atque ultrò se transcripsere Quirites
In nomen, majusque decus, fœcunda triumphis,
Imperii Tutela sacri Germanica Pubes:
Tendite spes vestras: votis en appetit hora
Sollicitis quæsita diù. Datur omnibus ire
Viribus in Gotos, casusque abolere sinistros.
Gens, quam perpetuis prudens Natura pruinis
Damnavit, secuitque Orbi, longùmque jacere
Jussit, & à cultis voluit latuisse diremptam
Finibus objectu stagnorum, altæque paludis
Germanis excita malis, atque usa tumultu
Indigenûm nostris olim stabulatur in oris
(Proh pudor!) & sedem fixit, raptoque potitur.
Quamvis, si tantæ quæratur cladis origo,
Non furor externus, sed sit civilis Enyo
In causâ, & fratrum successus debeat ausis,
Gotica Teutonicis si Gens est aucta ruinis.
Non impune tamen; nam, qui prior induit arma
Gustavus, jacuit temeratæ victima pacis
Fusus, & has glebas, quas nunc insistimus, istum
Est mensus campum moriens, atque ore momordit.
Nostra quoque aversis sors est exercita fatis,
Arvaque funeribus latuere, & sanguine fossæ
Crevere, atque altas hinc, inde amisimus arces.
Sed tunc sub Ducibus res est transacta; minori

Debilis

Debilis auſpicio belli Fortuna pependit.
Auſtria Cæſareum ſed poſtquam ſuſtulit enſem
Dextra, nec ulteriùs mandatis fidimus armis:
Pœnituit trepidam tanti certaminis Arcton,
Deſponditque animos. Teſtis Nortlinga cruore
Obruta Vandalico, tantiſque ſub oſſibus olim
Campus iners, nullumque diù ſenſurus aratrum.
Credidimus fuſos Patrum cum ſtirpe Nepotes,
Exciſumque genus, deletaque germina gentis.
Et, (quod ad Arctoi ſpectat diſcrimina Martis)
Actum erat; exhauſtos ni ſucceſſiſſet in hoſtes
Gallorum, noſtræque manus, quas addidit Arcto
Germano immeritas cenſeri nomine, & ortu
Diſſidium, atque ultrix deſerti Numinis ira:
His tamen auxiliis non ſat res Gota refecta
Subſtitit ex illò, ſenſimque ad tuta recepit
Relliquias tenues, infauſtaque bella gementes.
Hinc diſceſſuro propior vicina profundo
Vandalus inſedit venturi incertus, & æger.
Nec reſtaret adhuc cladique, fugæque ſuperſtes,
Ni Germana forent alias converſa per oras
Agmina, & alterius diſtracta aggreſſibus hoſtis.
Sed non tam Superi Svecos texere timores,
Quàm mihi, quàm veſtræ laudi trans vota ſecundi
Conſuluere morâ. Fuerat fortaſſe pudendum
Committi exhauſtis, atque intra ſepta receptis.
Nunc, cùm dilato crevit fiducia Cimbro,
Congerieque novâ primi rediere furores:
Ire decet contrà, juſtaſque expoſcere pœnas.
Pugna hæc fertilior, nec plus habitura laboris;
Nam, quos decretum fuerat trans clauſtra profundi
Quærere, & in patriâ latitantes plectere terrâ;
Objicit hìc Mavors, noſtroſque impingit in enſes.

Auctaque nec numero moveant, aut Auspice quenquam
Agmina fœmineis etiam conflata catervis.
Pars senior, cladisque memor recidiva veretur
Prælia: pars ægra exemplis, ignaraque Martis
Nutat, & ad Scytbicas spectat jam fracta latebras.
Nam, quod de Dano jactat Christina minori
Fœdere confiso, plenàque in pace sedenti,
Ensibus hoc debet nostris. Nos fregimus ante
Indomitum, nostrosque ausum tentare lacertos
Fudimus, atque animis vacuum donavimus Arcto.
Sed sit tanta, precor, quantam diffusa per Orbem
Fama canit, majorque etiam, quàm spargere rumor
Gaudet ab exiguo crescens per inane volatu,
Hæc nova, Parrhasius sequitur quam miles, Amazon.
Proderit hoc nobis; Virtus ut profuit olim
Zenobiæ, geniusque ferox, pectusque virile,
Aurelîane, tibi. Desint ut cætera, certè
Sum tibi par titulis, sed causa, & milite vinco.
Scilicet has auget partes Gens plurima mundi
Ingenio, dextrâque potens: Sanguisque, Fidesque
Convectant proprias nostra in discrimina vires.
At, quem fœdifragis prætendunt ausibus hostes,
Libertatis amor: nihil est, nisi jura perosum
Crimen, & ultores quærens evadere Divos
Impietas, aliumque ideò commenta Tonantem:
Qui nunc fatalem ingressam Gustaida campum
Insternet Patri; meliùsve à clade superstes
Implebit nostrum victa, & captiva triumphum.
Ite mei memores, & quos virtute refertis,
Romulidum; Latiasque Aquilas, Mariumque secuti
Germina Cimbrorum delete, & rursus eosdem
Scandite mox Currus, atque instaurate Trophæa.
Vocibus his Cæsar dum se, Sociosque, Ducesque

Susci-

Suscitat: Arctoos animos erecta reposcit
Christina, atque acuit stimulis ardentibus iras:
Heroum soboles, alto quam cardine Virtus
Sepositam, lectamque sibi natalibus oris
Eduxit toties, quoties punire nocentes,
Aut libuit reparare solum: vocat ecce lacertos
Martis opus, cujus quondam properamus amore
Sedibus è patriis, & votis ursimus horam.
Non hìc Sarmatici saltus, Riphæaque tesqua
Excutienda viris; sed fœtus gentibus Orbis,
Divitiisque gravis, regnisque, & jure superbus:
Quem decus Imperii, tralataque sceptra Quiritum
Imponunt terris, titulisque enormibus implent;
Expectat fortes, & campo prostat in illo.
Tanta strues rerum repetita ad prælia dextras
Provocat Arctoas, spoliisque, & laude lacessit.
Par operi merces oculis subjecta perorat
Ipsa satis, stimulosque animis pugnacibus addit,
Absolvitque Ducem; nec vocibus indiget ullis.
Ne tamen immodico dubitetis tanta periclo
Præmia proponi; qui nunc hæc possidet, Hostis,
Ille est, qui toties jacuit mulctatus ab ense
Vandalico, cujus quondam regnamus in oris
Indociles pelli, populosque tenemus, & arces.
Nec, quòd in occursum collecto robore Cæsar
Partibus è variis properet, sperare putetis
Fortunæ melioris opem; movet excitus arma
Scilicet, &, partâ sedeat si Svecûs in orâ,
Exuat armorum curas, atque ocia servet.
Anne animos addat miles tralatus ab æstu
Hispano Cæli impatiens, luxuve soluta
Italiæ Pubes? Nam, qui Germanus haberi
Contendit meritò, Proavûm de more perosus

Servi-

Servitii frenum, libertatemque ſecutus
Militat his caſtris. Venalis turba, jugique
Ipſa ſui cultrix, operæque ignara virilis
Cætera, nec juſti robur, ſed ſarcina belli.
Nam, qui Cælicolûm Cultus prætexitur Aris:
Mentibus imponit, Numenque inimicat, & arcet.
Anne aliquis Superûm Superos quærentibus unquam
Irrubuit, duxitve nefas odiſſe tenebras,
Explicitaſque vias orare, hominemque fateri?
Conſcia nos Virtus, olimque experta lacertos
Ut ſemel incœptos, interciſoſque labores
Abſolvamus, agit, Terræque, Poloque probemur.
Inde acies ſparſas, partitaque ſigna ſecundus
Convectat Mavors, & in unum colligit hoſtes;
Longa moraturus ne per diſpendia curſus
Hæreat, & truncæ contingat gloria palmæ.
Auſtria jam nimiùm, Danos dum plectimus auſus,
Prælia diſtulimus; ſed, plus quàm viſa dediſſe eſt
Impigra ſors belli, Danorum eſt clade peractum.
Illic Cæſareæ potior fiducia partis
Nempe jacet. Numquid Cæſar, qui reſtitit ægrè,
Et propè ſuccubuit victo, victoribus impar
Non erit? Externis ſed quid mea robora penſo
Exemplis? Hoc ſtrata loco Germania diſcors
Non ſemel occubuit. Vos hæc, vos ſæpiùs arva
Cæſorum cumulis, ſpoliiſque impleſtis opimis;
Nec majora peto, quamvis majora petantur.
Scilicet hinc pendet proavitæ gloria Gentis,
Poſſeſſumque decus, Guſtavi curſus ab hoſte
Rejectus nullo, fatis ſed ruptus iniquis,
Partaque Libertas, aſſertaque jura redemptæ
Teutoniæ, & Superi quicquid Victoribus addunt.
Certè Ego Germanas primùm clamata per oras

Regi-

Regina, haud unquam pleno mihi jure videbor
Successisse Patri, transmissaque sceptra tenere:
Ni, prius occiduas quàm Sol descendat in undas,
Lipsia victricem campo me spectet in illo,
Stant ubi nunc hostes; illic diadema resumam,
Vestraque cum nostris absolvam munera votis.
Displicet hoc unum (tantum trahit ista decoris,
Palmarumque Dies) parili mercede carendum est
Postmodò; nec tantum posthac debebimus armis.
Nam par non poterit post hanc, tantique triumphi
Altera pugna dari fuso, penitusque peracto,
Contulit Augusto quicquid Germanus, & Hospes.
Quòdque sub auspiciis non sit tractanda Parentis
Alea, præcipuo cavit fortuna favori,
In vestrum, nostrumque decus; vos nulla maneret
Fama, sed Illius sequeretur gloria nomen.
Quamvis, si proprias fas est expendere vires,
Ipsa Ego (sed meliùs præsens hoc pugna loquetur)
Non magis Austriaco, magno quàm cedere Patri
Pectore, consilio, dextrâque, atque indole, pugnem.
Sed moror accensos, atque ægrè signa tenentes
Sustineo. Ite alacres, pronosque agnoscite Divos;
Atque hanc incursus, quæ nunc vos advocat, horam
Esse aliquid potius regnis, & pulchrius ostro
Exemplo scitote meo. Nos impulit ista
Migrare à sexu, vilesque habuisse paternæ
Aulai illecebras, & quicquid proxima Cælo
Aggerat, atque omni Fortuna exempta periclo.
Dixerat, atque Acies alacri clamore secuta
Prosternit vallum, campoque erumpit aperto,
Ingeminantque tubæ sonitus, & classica clangunt.
Austriacos par ardor agit; mediumque vicissim
Decrescit spacium, profertque, atque admovet hostem.

Stat

Stat furor in medio, præcepſque, & prodigus ardor
Vitai, Virtuſque modum tranſgreſſa, nigroque
Syrmate Mors latè incedens, exertaque dextram
Humani Bellona furens ſitibunda cruoris,
Inque triumphali proſtans Victoria curru.
Interea horrifici cæca in præludia Martis
Æra vomunt nebulas, tonitruſque, & fulmina jactant.
Qualiter Enceladus veteris non immemor iræ,
Æſtatem cum rupit hyems, & inhorruit Æther:
Tollitur in furias, adverſoque ore Tonantis
Reſpondet flammis, & ſidera verberat igne.
Crebrior inde ruit ſpacio jam grandibus arcto
Fulminibus rutilæ furialis grando procellæ;
Igneaque objectum tempeſtas obruit agmen,
Fœdaque luminibus caligo intercipit uſum.
Sed iam completi curſus, & cominus ictus,
Conſertæque manus, & vis admota periclo.
Ut maris in medio cumulus conſurgit aquarum,
Et decertatæ ſpumant illiſibus undæ;
Hinc Boreas, atque inde Notus cùm ſolus uterque
Vindicat imperium pelagi, neuterque repelli
Suſtinet, atque alter quantum deſcendit in imum,
Alter in erectum tantus ſe concitat axem:
Utraque ſic acies dudum luctata viciſſim
Arietat, & niſum niſu contenta retundit;
Impatiens donec ſolo clamore juvare
Prælia poſterior miles, dextraſque tenere
Impulit obtentos; frontemque labare coegit
Ordinibus ruptis, hoſtemque admiſit anhelum
Agminis ægra ſtrues, inimicaque ſigna recepit.
Tunc verò immenſi ſpecies confuſa tumultus
Exoritur, nullæque manus, & nulla vacarunt
Inſtrumenta necis. Propiùs thorace recuſſo

Atteri-

Atteritur thorax, umboque umbone remugit:
Pectora pectoribus, galeis galeæ, ensibus enses
Infligunt, rumpuntque aditus, & morte relictâ
Luctantur, tenduntque ultra, spacioque remenso,
Quo steterant hostes, iterumque, iterumque feruntur
Frontibus adversis; integratusque resurgit
Sævior illisus, majorque reciprocat æstus.
Bis ruptas rediere vias, bis turbine denso
Insessum repetitur iter; sed tertius hæsit
Cursus, & in medio se contexere phalanges,
Virque virum legit, stabilesque habuere furores.
Qualiter Idæas fœtus cùm grandine nimbus
Solvitur in sylvas, deprensaque verberat arva:
Sternitur icta seges, pulsataque Gargara clamant
Longiùs, & pereunt dispersis frondibus umbræ.
Non alia incursus species, habitusque cruenti
Martis erat. Laceri descendunt vertice coni:
Non nitor argenti constat, non ditior auri
Luxuries: nulli distinguunt arma colores.
Menus Idesmenon prosternit, Zisca Libotem,
Minda Tagen, Varnum Latris, Taulanta Coræsus,
Disparibus fatis, & discordante peractos
Ingenio, ense, hastâ, pilo, geso, igne, veruto.
Ursorum Scythicis Gidon vastator in ulvis,
Aprorum Cirin domitorem fertilis Istri
Ad ripam, subiit: detractum vellus utrìnque
Horret, & ingenti vibrant venabula ferro.
Utraque certa manus; pariter per terga refulsit
Cuspis; & impacti, subitisque amplexibus arcti
Procubuere solo; nec pugna hæc visa Virorum,
Sed commissarum rabies, specimenque Ferarum.
Ibat in Evarcum Naucles: contemptor habenæ
In Mirnam convertit equus. Prior imminet hostis

Averso, teretique latus transverberat hastâ.
Admona Neritus peditem sublimis agebat;
Illia cornipedis subit ille, & viscera solvit.
Tunc prono se injecit equus, frustràque parantem
Occupat effugium, nitentique incubat armo.
Retia damnarat pertæsus pauperis undæ
Venatus, contumque hastâ mutarat Alazon.
Nec labor infelix; strato nam cœperat Aucho
Detrahere exuvias, censumque augebat in auro
Captivo; inclini cuspis Lappona repente
Incidit, & ruptis animam deprendit in extis.
Tenditur ille solo; spolium tamen unca tenebat
Dextra, nec arreptum norat dimittere votum.
Iron mole gigas gracili superadvenit Usvo;
Sed nimis impactus, propiorque, & inutilis armis,
Admittit cultri per pubem, atque inguina, vulnus.
Frigore deprenso ferri, fatumque propinquum
Anticipans ultrò vicino insternitur hosti
Corporis ingestu, Mirnumque, Aminumque, Gelamque
Condit, & inferias moriens præmittit ad umbras.
Sic gravis aerio quercus procumbit in Æmo
Turbine vulsa Noti: longo perit ordine circùm
Sylva minor; vastique nocent contagia casus.
Antidorum Lausus supremo in margine campi
Provocat in pugnam; gestis ingentibus olim
Inclyta fama Viris, & par, atque æmula Virtus.
Audiit ille libens, indignatusque vocari
Advolat, atque avidus medium procurrit in æquor
Exterior turmis, atque uni deditus hosti.
Ambo per alterius speciem cunctata parumper
Lumina duxerunt; mox exarsere vicissim
Partibus, & digno, succensi corda periclo,
Optatique diu casu certaminis. Illi

Gallus inest clypeo Scythicæ de stemmate gentis:
Huic inerat volucrum Princeps, insigne Latini
Sanguinis . Hinc anceps, atque hinc latus instruit ensis
Clausus adhuc; validum nam dextra hastile coruscat
Expertura priùs quid dissita proderet ira.
Scilicet alteruter, quò vis sincerior esset,
Antiquæ retinens, quantum permiserat usus,
Militiæ fuerat, veterumque imitator Avorum.
Occupat Antidorus jactum, totoque lacerto
Concitat intortum; nimiis sed viribus actus
Altior ictus abit, solùmque è vertice cristas
Dissipat, & longè vacuas ferit irritus auras.
Certior incessit Lausus, cornumque minatur
Inferiùs; clypeique moras perrumpit, & exit
Hasta; sed extremo thoracis vincitur ære.
Instaurant jactus; pariter sed cassa secundi
Conatus fortuna perit; nam corpore flexo
Transmittunt puras, & inanes sanguinis hastas.
Tertia cornipedum peccavit cuspis in armos,
Iliaque intravit. Non responsura relinquunt
Frena manu, propiùsque furor consurgit in enses
Cominus incessens . Repetitis ictibus æra
Dissiliunt; lacerosque artus rigat unda cruoris
Hinc, atque inde fluens; pensatur sanguine sanguis,
Mutuaque ultrices solantur vulnera dextræ.
Ecce nefas belli! dum par animusque, vigorque,
Dum labor in cursu, nec se fortuna duelli
Explicat: accenso displosus sulphure plumbus
Eminus (invisi patuit nec criminis author)
Haurit utrumque latus, consertaque pectora rumpit,
Et certum Virtutis opus vis cœca diremit.
Hoc tamen in casu felix sibi visus uterque,
Quòd non hostili jacuit mucrone peremptus,

Æmulus & neutri Mavors tranſcripſit opima.
Arma Theocrine prælata Cupidinis armis
Martia tractabat Chriſtinæ dedita primùm
Obſequiis, mox digna ſequi victricia geſta
Reginæ, & reſides caſtris mutare penates.
Hanc, dum Caucaſeâ properaret bella ſecuri
Impatiens ſociæ ſigna expectare catervæ
Dimidiâ contenta caput ſub caſſide condi,
Glica videt nullis libatus pectora flammis
Ante, peregrinæ ſed tunc ab imagine formæ
Incenſus, fidenſque thoro vi poſſe potiri.
(Nam quis in exertis procederet ambitus armis?)
Ponè ſubit, prædamque tenens calcaribus urget
Quadrupedem, præcepſque fugam molitur inanem;
Nam latus effuſi projectâ Virgo bipenni
Intravit gladio breviori, & vincla retorto
Vulnere diſſolvit. Facies obnoxia lapſi,
Tendentiſque manus, atque ultrò cingula dantis
Obſtitit iratæ; dextram nam rurſus in ictum
Virgo reverſuram tenuit, ſpolioque pepercit.
Stragibus in tantis, ſævique in pulvere ludi
Pulchra tamen Species dubii certaminis; ulla
Mavortis ſpecies ſi pulchra: interritus auſus
Regnat ubi; refugitque omnes animoſa latebras
Viribus incumbens, & aperto pectore Pallas,
Bellica nec vetito ſceleratur ſanguine Virtus.
Se tamen huc etiam damnata immiſit Enyo,
Inſperſitque nefas, & crimine proluit arma.
Agmina confuſus nam poſtquam miſcuit ordo,
Incidit in Civem Civis, Fraterque cruore
Fraterno maduit, (pignuſque ſacratius) error
Impulit in Patrem Natum, Natumque Parentem.
Sed furor infelix gentem peccavit in unam,

Nec,

Nec, nisi Teutonias, his casibus imbuit iras.
Portmius Antigenem patriâ prognatus eâdem
(Mysi ambo, & primis assueti lusibus ævi
Impubis, vicini ambo, pariterque tribules)
Occupat adversum, fulvâque extendit arenâ,
Atque ore incessit. Notæ hic ad jurgia vocis
Attollit vultus, insultantemque priorum
Admonet expirans studiorum, & crimen acerbat.
Derminon, & Melan, quos stirps patruelis, & alter
Per Matres nexus stringebat, longior ictus
Fixit. Notitiam telum prævenit utrumque,
Cavit & alterno mors opportuna pudori.
Nam simul optandas ambo admisere tenebras
Mutua transactis perpessi vulnera costis.
Alcmo, Ægon Styri nuper discordibus Aris
Acti in diversum, sed vultu, & pectore fratres
Conseruere manus; spolii nam cortice clausus
Alter, & alter erat. Putri sed concidit Ægon
Deceptus tellure gradum; capitisque solutis
Tegmen abit vinclis. Comperto fratre refugit
Victor, & instantem fusus perterruit hostis.
Extera sed cuspis subiit, fratremque jacentem
Conficit. Ad gemitus trepidus convertitur Alcmo,
Immemor & partis, generis non immemor, ardet,
Fraternosque obitus sociali ulciscitur irâ.
Dirior at juxtà, majorque erravit Erynnis;
Nam, dum prostratum spoliat Tisbeno cadaver,
Deprendit Patrem. Resilit thorace recluso,
Rejectoque procul clypeo, densumque per agmen
Irrumpit, scelerisque fugam venatur in hostes.
At non lentus Aron veniam debere furoris
Hostibus: impegit Nato, fatumque peregit
Pectore perfosso. Sed lapsæ in margine parmæ

Nomi-

Nomine Rismenis lecto, patriosque per arma
Naturâ subeunte sinus, prodenteque Natum
Horruit ad crimen; mersoque in viscera ferro
Præripuit mortem, primusque cucurrit ad umbras.
Constitit ut penitus consertis pugna maniplis,
Qui modò mittendis certo ordine in arma vacarunt
Agminibus, pariter se permisere periclo
Cæsar, & Arctoi Moderatrix inclyta mundi.
Extemplo clamore Virûm, clangore tubarum
Pulsati sonuere Poli, campusque remugit
Omnis, & attonitus se fontibus abdidit Albis.
Tunc magis incaluit ferrum, tunc dulce furente
Insanire manu, nullosque audire timores.
Sic solet interiùs concepto sæpè tumultu
Turbatis prodire vadis, sensimque redire
Pontus, & in fluctus per longa volumina solvi:
Quòd, si jam motis hostiliter incidit undis
Africus, & Corus, decertatumque profundum
Diripiunt: tunc crescit hyems, tunc Tethys in astra
Spumat, & insano fervet Neptunus in æstu.
Nam quis in aspectu tantorum nollet haberi
Insignis dextrâ? Totas ergo agmen utrumque
Expediit vires, atque acriùs institit hosti.
Nec solùm privatus honos hortatur in arma;
Incendit gentile decus, generisque, solique
Gloria natalis, tacturaque fama Nepotes.
Moverat in pugnam vix Martia Virgo: vicissim
Cæsar in adversum voce, & calcaribus urget
Cùm sublimis equum. Furor hinc, furor inde, minæque,
Contemptusque animæ, variæque examina mortis
Triste satellitium subeunt, & ponè sequuntur.
Agglomerat se lecta Cohors jurata saluti
Ductorum, summosque Apices tectura per hostem

Pecto-

Pectoris objectu, vilemque habitura cruorem.
Crescit in alterutrâ major tunc parte Gradivus
Alternìmque furit nunc hos, nunc pronus in illos
Acriùs incumbens, & , quos modò sustulit, urget.
Ter retro Germana pedem contenta juventus
Compulit Arctoos revocare, & rumpere cursum;
Ter retro impulsa est, & per vestigia vertit
Eluctata gradum; toties Mars hæsit in æquo
Indocilis flecti, totiusque ariete molis
Impactæ horrendùm sonuere utrìnque phalanges.
Par jactura lucro; nisus nam mortibus omnis
Constitit innumeris . Jam strata cadavera campo
In tumulos surgunt, ingentique aggere vallum
Hostibus objiciunt, redeuntiaque arma morantur.
It pietas , pariterque timor crescente furore
Ejurata procul . Confusæ stragis acervos
Proculcare juvat. Crudâ nil morte calentes
Semineces cumuli, nil obstitit unda cruoris.
Dulce viris hàc rumpere iter, cursumque tenere.
Eminet Augustus, ductuque, & robore tanti
Nomen, opusque Ducis latè implet . Sustulit ille
Impulsas acies, dextrâque in parte labantes:
Ille superfusum rejecit sæpiùs agmen,
Convertitque retrò: compressos ille maniplos
Ense metens reseravit iter, pugnamque redemit.
Ille etiam Rodilon prostrato Vindone primo
Signifero, fixit jaculo, sacrumque redemit
Vexillum Imperii, densâque è strage receptum
Altiùs erexit, mediosque invexit in hostes.
Cominus instantem cuneo subeunte Lybernum
Cuspide transabiit, Zirimumque peremit, & Irsum,
Enormenque Licen, multâque in cæde calentem
Cornipede impacto vicinum fudit in Olmon,

Atque

Atque ambos afflixit humo. Per aperta citantur
Agmina mox Cives, & magna exempla sequuntur.
Sævior at contra Mars ingruit, auctaque rursum
Pugna recrudescit, Gotorumque integrat agmen.
Namque aderat Dux Illa Ducum Regina Trionum:
Quàque subit, (tantum cladis, tantumque timoris
Irrevocata trahit,) turmas fuga larga per æquor
Auferat ut celeres, & segnes auferat ensis.
Substitit objectæ miratus Virginis arma,
Fatiferamque manum Cæsar; nec parciùs Illa
Hæsit, & Augustum mediâ laudavit in irâ.
AUSTRIUS inde prior, strages quem dira suorum
Largior & sanguis incenderat, erigit hastam
Eminus, & magni sortem certaminis audet.
Impetus ARCTOÆ par est; nec constitit utrum
Promptiùs impulerit tanti discriminis ardor.
Fulvum Cæsar equum, niveum Regina citabat
Cornipedem: strata ex auro contexta: lupati
Ex auro: & largo phaleræ radiantur ab auro.
Illi iram induti moderantum frena lacessunt,
Intenduntque artus, & proflant naribus ignem.
Æreus Augustum thorax defendit: in ære
Squamifero Regina latet; galeâque comanti
Condit uterque caput: summo de vertice surgunt
Hinc Aquila, inde Leo: rostro hæc, hic oris hiatu
Tollit in adversum furias; atque ungue minantur.
Intentant lævæ clypeos, dextræque coruscant
Fulmineas quercus. Humeros par purpura vestit
Sidonia, & volucri per terga volumine ludit.
Pulchriùs, infesto cùm sumitis arma furore,
Hæc te, Mars, species, hæc te, Bellona deceret.
Vidit in occursum sed vix intendere dextras
Utraque fida cohors, contentaque tela minari,

Recto-

Rectores, oblita sui cùm protinus omnes
Objecit cuneos, & totis obstitit armis.
Ipsi etiam Alipedes stimulis, frenisque negantes
Diversos rapuere Duces. Illi ora lupatis
Nequidquam subigunt, animisque ardentibus instant.
Et tamen alterius neutri deposcere fatum
Mens fuit, aut votum, casumque optare supremum
Successus animo jam divinante futuri
Fœderis, atque olim nexu Virtutis amici.
Omen at ut docuit: non processisse propinquæ
Fortunam pugnæ, stabilemque habuisse tenorem
Profuit Augusto; nam, dum superare laborat
Objectos cuneos, Aquilæ defecit imago,
Destituitque decus galeæ nullo hostis ab ictu
Stricta. Minor cono vertex subsedit adempto:
Altiùs inque vicem se sustulit æmula cassis,
Erectusque Leo diductum visus hiatum
Tendere, & horrendùm trepidas rugire per auras.
Ergo ubi, nulla datur miscendi copia Martis,
Accedunt fatis, aliosque citantur in hostes.
Nec gens ulla fuit Germanis dedita signis,
Arcticus egregium cujus non carpserit ensis,
Præcipuumque decus. Sed nec minùs Austria cuspis
Horruit: & Goti tantundem sanguinis hausit.
Notior in medio latè distincta tumultu
Præstabat Legio Ausonidùm non immemor altæ
Indolis, & Superis, Romæque impensa parenti.
Mutius hanc senior germen de stirpe Velinâ
Ducebat fatis congressus Marte priori
Gustavo imparibus, libertatemque receptam
Magnanimo referens Victori: jussus abire
Tutus, & incolumis nullâ mercede redemptus;
Tantùm pollicitus non ultra partibus addi

Cæsaris ingrato pensans mavorte salutem.
Cessit & hęc inter fato Gustavus acerbo,
Paxque diù tenuit medios tentata furoris.
Ergo ratus desisse fidem jam Rege perempto
Arma iterum subiit; nam cruda, & firma senectus.
Sed malè perpensis instaurans prælia Divis
Impegit fato, Nemesinque evadere seram
Non valuit; nam, celsus equo dum perfurit ense;
Reginæ patuit, volucri quæ pectora telo
Obvia persolvit, crassoque in pulvere turpem
Vocibus increpitat justis, & vulnus acerbat:
I nunc immeritò nomen mentite Latinum
Ultores contemne Deos, & abutere Patris
Munere. Quis demens adeò, periisse parentem
Fidat ut invictum, dum sit Christina superstes?
Casibus Ausoniis mox successistis Etrusci,
Nobile par Fratrum, nullo non tempore juncti
Antideu, pugnamque manu meditate sinistrâ
Pitale: te fixit jaculo, te cominus ense
Pervasit. Nullâ latuisse in casside vultus
Præstiterat, nexusque notas patuisse gemelli.
Sistere magnanimam poterat concordia dextram.
Nec fas est de morte queri; plus funeris Auctrix
Contulit in vitam, vitæ quàm contulit Auctrix.
Illa dedit lucem, Lethen evadere donat
Ista, nec invisi tenebras sentire sepulchri.
Viderat Augustum Reginæ à Marte diremptum
Fatorum ingenio populari cuspide crebrâ
Vandalicas, Svecasque acies, vetitasque cruento
Ense reposcentem pugnas Tarsilla Virago:
Tarsilla, in roseo tantâ cui dote redundat
Ore decor, forti quantum stat pectore robur,
Et vigor in dextrâ, Dominæ quam cedere soli

Non pudet: atque animo nimium complexa trophæum,
Quò per Amazonias iret conſpecta catervas
Tractibus in gelidis: toto molimine dextram
Suſcitat, & magno propior committitur Hoſti,
Delibatque latus ferro, rubrâque bipenni
Exultans ictus iterat, ſtringitque lacertum;
Cæſareoque redit bis tincta cruore ſecuris.
Tunc verò inſurgunt iræ; vulnuſque, pudorque
Ingeminant ſtimulos, & dignam Cæſare poſcunt
Vindictam. Ergo avidum toto vibratus in ictum
Impete Virgineæ lævâ ſub parte papillæ
Ingreditur mucro, vitæque arcana recludit.
At, ſimul accurſu ſociæ, gemituque cohortis
Agnovit ſexum; voto damnavit inani
Succeſſum, Comiteſque ultrò properare cadenti
Sollicitat feſtinus opem, purgatque ſiniſtri
Fortunam caſus, fatumque excuſat iniquum.
Sed quis inexpletæ numerare examina cladis
Sufficiat graſſante malo? quis denſa referre
Funera congeſtæ plebis? Subit agger utrìnque
Horridus; & dirùm triſtis rubet area campi.
Utque per obſeſſum nigrantibus aera nimbis
Rumpit iter Volucrum Regina, & nubila findit:
Sic cuneos Chriſtina ſecat, lacerumque reſolvit
Agmen, & objectas aperit contenta phalanges.
Nemo propinquanti jam ſuſtinet obvius ire:
Nemo procul ſiſti, nedum propè ſtringere ferrum.
Vix votis nocuiſſe vacat; tam ſacra, feroxque
Incumbit ſpecies, metuique, colique meretur.
Qualiter infenſus terris cùm Juppiter ardet,
Differrique negat, vindictamque igne repoſcit:
Pallidus inſtanti ſub Majeſtate tremiſcit
Orbis iners, fiſumque Poli contemnere vires

Contrahitur mortale Genus, furiasque minores
Ponit, & insani jam non reminiscitur ausus.
Jamque redundanti laceras in sanguine Partes
Mutua mersisset clades; neutrique tulissent
Cedere conatus; &, dum manus ulla superstes,
Durasset Mavortis opus: Germana repentè
Ni sacer intrasset trepidis Pavor agmina pennis,
Fregissetque animos, & Martis amore calentes
Non intellecto strinxisset frigore turmas.
Sive cruentatis non ampliùs agnitus armis
Perculit Augustus dubitato funere cives:
Virginis Arctoæ seù fusæ è vertice flammæ,
Aureaque innocuo populatæ tempora gyro
Monstrantes laurus, & proxima signa triumphi
Mutavere vices: seù mens stata Numinis olim
Immortale decus Christinæ in pulvere Martis
Polliciti, & pariter miserantis funera gentis
Ultima Germanæ Gotos erexit, & agmen
Impulit adversum: subito correpta timore
Conversa est acies, viresque, animique peracti.
Ecce metus alii. Fatali erumpere campo
Gustavi manes sunt visi, totaque pubis
Vandalicæ rediviva cohors, latèque solutâ
Surgere humo: majora viris arma, impetus, iræ:
Procissumque solum mugire, haustumque minari.
Consensit Terra Cæli fragor; igne trisulco
Nam rupti strepuere Poli, perque Austria tantùm
Agmina terrificis directa est semita flammis.
Nec, qui vicinum jam Sol afflaverat æquor,
Absolvit de more vias: uno impete seras
Sed rapuit metas, & præceps incidit undis.
Scilicet haud aliàs unquam tam multa sinistri
Argumenta mali cladem cecinere propinquam.

Forsi-

Forsitan exitii non eluctabilis horam
Monstrarunt tantis parcentia Numina monstris,
Ut minor inde pudor; nec solis Austria Gotis
Cederet, & victis Fatum prætenderet armis.
Ergo fugæ mandata salus, nec jam ampliùs enses
Tractati, atque omnes effusæ in terga catervæ.
Ipse etiam Cæsar, postquam ductuque, manuque
Et Ducis implevit partes, & militis usum
Consumpsit, fusas iterumque, iterumque moratus
Relliquias convertit equum; sed nulla pericli
Dira fugam species, nulli incussere timores.
Illum consilio Genius, Tutelaque sacri
Imperii (nam quos mens fervida, & alta fuisset
Auditura metus?) subiit: Quid perdis inanes
Conatus, cassâque hostem virtute lacessis?
Fata obstant; furit hora nocens, Cælique sinistri
Impetus: & premeris plusquam mortalibus armis.
Proderit hoc olim. Non semper noxius urget
Juppiter; alternis mitescunt dura secundis.
Adveniet conversa dies, lætique recursus.
Nunc fuge naufragium, teque ad meliora reserva.
Dixit, & apprensas manifestus flexit habenas
In latus obliquum. Campo tamen ultimus exit
Indignantem animum cohibens, & sæpius hosti
Institit haud unâ compensans morte recessus:
Et tandem totâ cum Majestate receptus
Sparsa recollegit laceræ fragmenta ruinæ.
Dicitur excedens pugnâ, quà proxima fusos
Regina urgebat, gressus flexisse morantes,
Ipsius ut tantùm fato cessisse videri
Posset, & ingenti casus Authore levaret.
Sive manu pugnæ cupiens Heroidis actum
Claudere supremum, lucemque rependere famâ.


Ipsa

Ipsa, instaurati post tot discrimina ludi
Vidit ut abreptum ferri nil mente remissâ,
Hostibus & pariter, pariterque obstare suorum
Præcipiti, Regina, fugæ: non impulit hastam,
Non secuit cursum, non auxit voce pudorem;
Sed fato indoluit, teloque optavit ab omni
Intactum, & magnâ jacturam laude redemit:
Edidicitque suos casus, atque induit hostis
Fortunam, & cauto mensa est examine Divos.
Exemploque Ducis, si non compescuit enses:
Sustinuit cursus, & penè Exercitus hæsit.
Turbidus at Rindax æterni Martis alumnus,
Cui pulchrum mactare patrem, residemque senectam
Rumpere, & optanti cunas pensare sepulchro:
Ore niger maculis, oculisque rubore coruscis
Reginam lymphatus adit; propiorque furenti
Provocat in clades, & nullo sistere ferrum
Limite sollicitat, sed Dis instare secundis,
Nec, nisi prostrato remorari in Cæsare cursum:
Optandus nunc sudor, ait; graviorque labore,
Et pejor quocumque, quies. Quod classica rumpit
Consilium, cohibetque animos, & prospicit hosti?
Ocyùs an victi fugient, quàm nostra sequentur
Agmina, & exhausto cedet vis plena timori?
Nunc sævire decet, totasque exscindere ferro
Relliquias, perque omne genus, pecus omne vagatos
Grassari, atque unâ prosternere cuncta ruinâ.
Anne aliud belli pretium Fortuna, Deusque
Constituère Viris, quos Mars erexit in arma,
Adscivitque sibi, clypeoque afflavit, & hastâ?
Illa animi immodico, nec sat rationis habenti
Objicit instantes exhausto Sole tenebras,
Insidasque vias, & lustra accomoda fraudi.

Æger

Æger ab immenso jamdudum sanguine Mysta,
Et strue cæsorum tristis: grassante Gradivo
Reginæ contentus iter servare, latusque
Tutari abstinuit ferro, tenuitque cruentâ
Immunes à cæde manus, scelerique pepercit
Anxius, & parti gemitus impendit utrique.
Utque aciem eversam vidit, disjectaque signa
Cæsaris, & raras vix se subducere turmas
Jam laceras, queis lenta fugam vis ægra negabat,
Invictamque Ducem stringentem parciùs ensem,
Sed tamen abreptam furiis Rindacis habenas
Non totâ cohibere manu: subit obvius ora
Exemptus galeâ, facilemque his vocibus iram
Demulsit: Belli non jam dubitabile fatum;
Te Laurus sincera manet; certæque triumphi
Ulteriùs sævire nefas. Ignosce jacenti
Austriaco, & pudeat diro indulgere furori.
Qui superest, rabies, non virtus, conficit hostem.
Annuit illa libens, vetuitque incessere truncas
Relliquias, jussitque tubas inbibere cruorem.
Nam jam pugnaces Pietas restrinxerat æstus,
Et non ponendas aliter submiserat iras.
Non secùs aeriis inclusus rupibus undas
Agglomerat Nilus, spumatque in culmina montis:
Agmine mox placido campos invectus apertos
Porrigitur, lentoque fluit per plana meatu.
Jam calor ille tepet, jam se clementia prodit,
Puraque discussis oritur Christina procellis.
Horrida quin species prostratæ in pulvere partis
Adversæ gemitus poterat, lachrymasque ciere:
Si non Virtutis se prætendisset Imago,
Et propè Germanę Libertas reddita pubi.
Namque olim Reges impensos usibus Orbis

Noverat afflicti. Grande hinc, & nobile sceptrum,
Et jam Numinibus non dedignanda Potestas.
Ergo jubet Vigiles valli in munimina mitti,
Ne levis expositum custodia proderet agmen,
Adderet & turpem cladi jactura pudorem.
Lenta nec in Superos memorem transmisit honorem
Jam propior Cælo, jam nubis parte remotâ.
Sed magis incubuit Mystæ, quem certius Astris
Stringebat fœdus. Divis hunc reddere grates
Sufficit, & Lauri meritum, pretiumque referre.
Cæsaris hinc castris Ducibus circumdata primis
Successit, traxitque brevem semota soporem
Acclinis sellæ, malamque innixa sinistræ,
Atque bastæ dextram: Tali post bella Gigantum
Marte fatigatam suspendi Pallada somno.
Finxerunt Grajæ deliria docta Camenę.
At non ulla quies latè prostantis acervo
Cominus intentis prædæ; Nam Cæsare dignas
Exuvias Fortuna dedit, ferrique redemit
Discrimen, penitusque animos implevit anhelos.
Non tamen effusis permissa licentia turmis
Irruere in lucrum, passimque in castra vagari
Exposita, & sparsas raptu corrumpere gazas;
Jussa sed in plenam differri præmia lucem.
Omnibus ergo dies servata, & rumor abactus.
Quique diù cæcùm fremuit per inane tumultus,
Non hominum fragor ille fuit, Victorve superbus
Hostibus insultans; sed non expleta Tyranni
Inferni rabies, & frendens Eumenis Arcto
Hærenti in cursu, capulumque à strage tenenti.



LIBRI

LIBRI NONI


ARGUMENTUM.



Egina ſecum exigit, quò victricium armorum curſum convertat, & Boemiam prælegit adhuc recalentem ex incendio rebellionis, quâ mutatis Sacris ab Auſtriaco defecerat: atque ideò, victo Cæſare, Hoſteque victore, & proximo, non ægrè in novas turbas exarſuram. Occaſioni intenta ad Hercyniam Sylvam ſtativa conſtituit; neve interim Miles hebeſceret, venatui indulget, in quo ſemel inter Urſos, quibus tractus eſt infeſtus, tantâ immanitate, ac violentiâ unus eminuit, ut vix, & tandem ſubigi potuerit. Hunc ſpecie, & incurſu longè ab Urſis differentem Indigenarum ſubſeſſorum examen, qui operam locaverant, Hominem eſſe deprendit. Regina monſtro defixa Humani Generis feritatem execratur, & Regibus in eam præcipuè curam incumbendum pronuntiat, ut populos manſuetudinem doceant, quâ concilian-

te humaniora ſtudia, cultiores mores, & Imperantibus obſequium ſtratâ, & pronâ viâ inſinuantur. Simultas inter utrumque Equitatus Ductorem eò prolapſa, ut ſingulari ſolùm certamine, quod ſeverè à Guſtavo, & ſeveriùs à Chriſtinâ interdictum fuerat, ſiſti jam poſſet. Primores Copiarum Duces, quando aliter malo mederi non erat, ut Legem interjungeret, atque unà, ſemel, totique Exercitui profuturâ veniâ pœnæ intercedi pateretur, Reginæ ſupplicant. Quo Illa Duellum ingenio permiſerit, & cohibuerit. Boemis nil turbatum moventibus, ſucceſſus armis urget, & aperto Marte rem agere aggreſſa Pragam veterem, ubi arx, & Auſtriadum Cimelia, h. e. precioſior ſupellex, condita erant, oppugnat, & capit; poſitoque præſidio, ne militari licentia dives gaza, ſervari merita, & mox recenſenda, diriperetur; copias reducit in Caſtra. Succeſſuum Ermini, & Eurinomes: alterius, quòd prima Pragæ moenia conſcenderit, murali coronâ: alterius, ejuſdem conjugio Virtutis ergò à Reginâ donati Periocha.

LIBER NONUS.



LUminis orta dies tantum non protulit Orbi,
Præbuit horroris quantum crudelis imago
Cladis, & hesterni species funesta Gradivi.
Hinc, atque inde rubet stagnanti sanguine gurges,
Incestatque Polum; densoque cadavere surgit
Campus inæqualis, cumuloque obtutibus obstat.
Regina è numero secerni in funera Cives
Imperat; extinctos nec mortis honore carere
Sustinet Austriacos. Flammis communibus ardet
Cætera congeries, & busto solvitur uno.
Inde Pyram latè spoliis, trabibusque minantem
Extruit in medio, subiectoque igne parentat
Gustavo, & functos vocat ad solatia manes.
Cura minor prædæ; meritos sed mensa lacertos
Dividit exuvias, &, tantùm laude retentâ,
Abstinet, & socios partiri gaudet in omnes.
Mox, ubi constituit non unâ in parte trophæa;
Vulneribusque ægras, & fessas Marte refecit
Justa quies acies: alacres rapit impigra turmas,
Vestigatque Hostem, successusque urget amicos.
Ille sed interiùs gressu properante receptus
Milite cum raro, curisque ingentibus æger,
Sparsa recomponit laceræ fragmenta ruinæ.
Ergo per expositos vadenti plurima tractus
Oppida panduntur. Reseratis arcibus ultrò,
Parcit, &, asserto ditionis jure, relinquit
Civibus, & nullâ redimit mercede salutem.
Ausa tamen clausis Svecos excludere portis

 Lipsia;

Lipsia ; nam bellum toties experta futuris
Casibus hinc fossis, hinc altà caverat arce.
Sed, quæ prima novis Arcton confisa morari
Mænibus haud timuit, tenuitque objecta ruentes,
Prima dedit pœnas prostratis ariete claustris,
Arceque disjectâ . Non longæ profuit Urbi
Pœnituisse moræ, pronumque ad jussa reversis.
Hostibus ingenium Christinæ, & mite subactis.
Substitit hìc paulùm, cursum quò vergeret anceps,
Incœptumque urgeret iter . Labor utilis ipsum
Imperii tentare Caput, trepidumque Viennâ
Excutere Augustum, vel lento absumere clausum
Obsidio; sed plura aditus munita secabant
Oppida, & obstabant dispendia longa viarum.
Austriacæ Gentis latè dominantis in oras
Germanas, & sceptra diù Romana tenentis
Altera consurgit Sedes, partesque secundas
Indignata pati Bois Praga imperat arvis.
Hæc plaga fertilior spoliis, & certior armis
Processus, nudumque latus, nec tractus iniquus.
Huc igitur primi directa est semita cursus.
Misnia contingit fines quà terra Boemos,
Sylva vetus surgit, tractu quæ flexa profundo
Extera perpetuo secludit limite regna
Abjetibus, piceisque frequens, & robore denso
Obsita, & instantis propellens spicula Solis
Et cum totus adest, viresque acquirit ab æstu.
Quondam etiam nigris, & longo putribus ævo
Numen erat plantis : sacroque horrore cavebat
Longiùs abscedens Hercynia lustra Viator.
Fertilis in medio , spacio diffusa patenti,
Area se pandit variis versata Colonis,
Urbibus, & Fluviis latè dotata ; sed illas

Praga

Praga superſurgit, quantum agmine dives aquarum
Præterit hos Albis. Germanos exuit olim
Gallica gens Bojus; poſt Marcomannus ademptam
Illyricis ceſſit, quorum de ſtirpe Nepotes
Exercent glebas, & Slavâ à gente perennant.
Nec Solii par ſemper honos, atque una Potentum
Temperies. Olim Ducibus poſſeſſa minori
Subſtitit in titulo; ſed mox Regale cacumen
Extulit; & ſumpto Majeſtas murice crevit.
Inde ſub auſpicibus Gens eſt majoribus aucta
Continuâ Regum ſerie; ſed ſtirpe peractâ
Auſtrius hoc etiam ſucceſſit Sanguis in oſtrum
Conjugio ſemper felix, & dote redundans.
At trux, & ſceptri non immemor Incola primi,
Impatienſque jugi tralati ſæpius arma
Suſtulit in Dominos, ruptaſque excuſſit habenas.
Gliſcit adhuc vis illa furens, quæ Signa, Duceſque
Præcipites lymphata dedit; nec jura, fidemque
Reſpexit, ſecuitque Aras, auſuque rebelli
Cæca Palatinis mox eſt jactata procellis.
Nunc quoque, tam facilem ſi quis ſuccenderit eſcam,
Surget apex, nec tarda trahent alimenta favillas,
Omniaque inſanos undabunt rurſus in ignes.
Hæc Regina putans, atque expertura propinquo
Incola turbarum numquid ſub Marte moveret
Impacatus adhuc (certam non fraude, doliſve
Tentatura fidem: ſcelus hoc, jacturaque menti
Criminis ignaræ) ſigna huc victricia vertit,
Et latè inſedit campis. Neve agmina Cæſar
Altera colligeret; vireſque, animique redirent:
Mittitur Auſtriacas acies non una per oras,
Spargeret ut trepidos, interciſumque teneret
Delectum, & propiùs redivivos frangeret auſus.

Interea ne pigra quies animosa sedendo
Pectora tentaret: saltus, vicinaque lustra
Sæpiùs instituit populari, atque agmine denso
Deprensas agitare feras, & imagine Martis
Tollere desidiam, vegetosque tenere lacertos;
Venatûs nam sylva ferax. Hinc ardua latè
Cornibus arboreis glomerabant agmina Cervi:
Hinc Damæ, Capreæque leves, atque Alces, & Uri,
Lunatæque suum turmæ; sed densius agmen
Ursorum. Nullum pejùs vastata tremiscit
Sylva pecus, nulloque fremunt magis antra tumultu:
Sive, quòd hybernæ patiens hyemisque, plagæque
Ursus amat Boream, meliùsque horrente sub Arcto
Multiplicat: seu, quòd terrę Cynosura propinquæ
Imperat, & sobolem materni sideris auctâ
Vi ciet, & pariles educit fœta nepotes.
Sed patrii nix alta Poli vix gnara remitti
Solibus ęstivis descendere cogit in austrum
Esurie stimulante greges, & quęrere prędam;
Mitis ubi tractus, cupidisque paratior esca.
Huc igitur latebras, atque apta cubilia nacti.
Turmatim properant, Hercynaque tesqua frequentant,
Obsessasque vias populant, raucoque tuentur
Possessum custode nemus. Vix prima dedere
Signa canes; totis & jam prorumpit ab antris
Hirta cohors, visisque furens obvertitur hastis.
Hìc labor ergo frequens, & prędę plenior auctus,
Et nusquam veri meditatio tanta Gradivi.
Acriùs exorta est longè transgressa priores
Pugna semel; numero nam densior institit horror
Villifer, & trepidas insedit latiùs umbras.
Inde viros inter, minitantemque unguibus hostem
Anceps lucta fuit: pejusque, & majus obarsit

Certa-

Certamen, levibus cùm se mox obtulit armis
Ante alios Regina Duces. Sensisse putares
Adventum, speciemque feras: hoc ordine pugna
Processit; certique gradus movere furorem.
At postquam rabies, visusque in vellere sanguis
Comminus accensos in mutua damna citavit:
Tunc pulchrę periere morę, subversaque cessit
Pompa prior: primi haud aliter post murmura Cauri
Pulsati tumet ira maris, porrectaque surgunt
Æquora, & excitę saliunt in rupibus undę.
Hirsutos inter cuneos ardentior unus
Dissipat obstantes, nec tardâ it mole per agmen,
Vallarive sinit. Non illum densa tegebant
Vellera. Condebat malas confusa, caputque
Sylva: colubriferæ qualis premit ora Medusæ
Anguis, & obsessos prohibet coma sibila vultus.
At cutis assiduè cælo durata, geluque
Incussis obstat jaculis, nimboque resistit
Telorum. Fugêre canes, soloque Molossi
Latravere metu. Venantes ipse videtur
Venari. Texisse suos, hostemque cavere
Cura minor monstro. Cedentes acriùs urget
Torvus; & insistens pedibus modò rapta remittit
Tela viris: modò sparsa solo venabula vibrat
Impiger: arrepto nunc iras incitat ense:
Nunc strue cæsorum fruitur, manesque recentes
Occupat, ac prædâ reficit spirante furorem.
Quòd, nisi crescentis confusum stragis acervo,
Et caligantem furiis, tantùmque videntem
Retia, tela, canes foveam traxisset in altam
Impetus, & cæcum fallax hausisset hiatus;
Nunc quoque Germanis tantus timor esset in oris,
Quantus in Argolicâ quondam fuit Hydra palude.

Demersum tellure cavâ, penitusque sepultum
Cura Ducum superesse jubet, cuneosque repellit
Desuper instantes jaculis, vivoque potiri
Hoste parat. Saltu sed quis se mittat in antrum,
Injiciatque manus monstro, vinclisque subactum
Extrahat, & pulchro nomen lucretur ab ausu?
Attonito vix sera dies, ingestaque sylvæ
Plurima congeries, atque hostis desuper urgens
Excussit tandem furias, fractumque coegit
Ebullire minas, aliisque errare tenebris.
Ut longùm taciti securus carceris horror
Edomitam docet esse feram; descendit in imum
Miles, & exteriùs suspensum reste levare
Dat sociis non ante tamen, quàm plurimus omnes
Vinxerit, & latè funis compresserit artus.
Ille cibo ingesto, cæloque, & sole refectus
Collegit sensim vires, animosque recepit,
Quæsivitque fugam; nisus sed lusit inanes
Nodorum tentata fides. Tunc omne remugit
Insano clamore nemus; paulùmque recessit
Victor, & inclusos iterum respexit ad enses.
Mox redit ad vinctum, circumfususque jacenti
Miratur tristes habitus, frontemque, trucesque
Obtutus; nescitque diù, quæ nomina pesti,
Traxerit unde genus. Totas stupor ergo catervas
Suspendit, dubiasque anceps defixit imago.
Nam peior feritas, & frons diversa negabant
Ursorum de stirpe satum. Solertior unus
Indigenas inter dudum per membra moratus
Singula, & obtutu perpensis artubus acri
Esse Hominem clamat, Comitum nec diffidet ullus
Consensus; nam turba frequens, vicique propinqui
Accola venantes correptis auxerat hastis;

Cer-

Certaque natalis dant argumenta retecti.
Nec patitur nutare fidem tempusve, locusve,
Famaque Sylvicolas olim vulgata per omnes.
Quattuor exhausto fluxerunt æthere lustra,
Ex quò Bojorum Saxon perrupit in oras
Fœdere discusso; namque Austria regna perosus
Præripuit gladios, præcepsque cucurrit ad arma.
Vastatur confine solum, primusque propinquos
Impetus obtrivit. Nocuit confinibus arvis
Contiguas habuisse domos, & sanguine forsan
Commisisse genus. Medios it dira per agros
Tempestas, subitamque trahit diffusa ruinam.
Rustica vicinis Mulier perculsa catervis,
Instantique malo, sylvis se condidit altis
Prole gravis geminâ, cui nondum firmior ætas
Ire dabat, plantâque fugam celerare valenti.
Dum latet: Ursorum trepidæ grex ecce repente
Objicitur, raucoque nemus quatit omne tumultu.
Excidit illa sibi; turbatæque excidit infans
Alter, & effusæ in cursum, gressusque citantis
Destituit gremium, morsusque moratur apertos.
Ergo mæsta parens deserto reddita tecto
Hostibus immissis aliò conclamat acerbum
Funus, & extincto tumulum componit inanem.
Expositum, mancumque sibi, cursuque carentem
Alite, seque altis prodentem fletibus hosti
Expirasse metu, gelidosque voracibus artus
Liquisse, & nullo dotatas sanguine venas
Credidit & Genitrix, & ruris credidit omnis
Accola; nec solùm vivum latitare per umbras
Horrendi nemoris, sed nec superesse cadaver
Spes cuiquam. Vix dira fames à prole, suisque
Abstinet; exhaustis tantus furor errat in extis,

Esuries tantum latrat . Fugit orbita Solis
Interea, refugitque diù, cælumque remensa
Circuit, & longâ reficit vertigine terras.
Jam lassæ cecidere minæ : jam pacis imago
Hoste redit fesso . Glebæ versantur inertes
Agricolis, scabroque redit labor almus aratro.
Jamque ter octono cultis succrevit in agris
Vere seges; nullis ex quò protrita catervis
Respirabat humus, martique addicta juventus
Verterat in sylvas, & opertas tela latebras.
Utile quippe viris lucos purgare timendos
Venatu, dubiasque vices, redituraque bella
Discere, & in pugnas iterum durare lacertos.
Nec sævas reperire feras, atque agmina contrà
Obstatura labor; saltu dominatur in omni
Ursorum tam multa cohors, seque objicit ultro.
At procul ante alios, notus Venantibus olim,
Præcipuus timor Unus erat, qui primus in hostes
Semper, & erectus, nec se molimine tardo
Convolvens, densoque artus sub vellere tectus:
Sed truncos, & saxa rotans, cursuque volucri
Insultans, hominemque actus imitatus in omnes.
Non levis hinc subiit jam pridem ruris alumnos
Suspicio: Infantem, matris qui procidit ulnis
Deprensæ in sylvis, subitoque horrore solutæ
In diram migrasse feram . sed copia justæ
Interdicta moræ, vetitumque instare periclo,
Confusique greges, & pugnæ turbidus error,
Hactenùs incertos habuit . Nunc comminùs artus
Permensi, speciemque habitus, tempusque, locumque
Deprendère nefas, & deprendisse queruntur.
Constitit ergo genus . Trepidæ Puer ille Parenti
Lapsus ad Ursorum rictus, olimque vocatus
Ad

Ad vacui sedem tumuli, miroque superstes
Fatorum ingenio: dedoctus quicquid habebat
Indolis Humanæ, nullo mutante Deorum,
Transiit in monstrum, penitusque recessit ab ortu.
Portento Regina truci defixa moratur
Obtutu in longo, mox sic commota profatur:
Felix morte Parens, hanc si non duxit ad istos
Parca dies! Aliis optandi matribus anni
Nestoris, amissos ut tandem cernere natos
Contingat; minimi præceps huic terminus ævi
Orandus Superis, quò non reperiret ademptum
Infamem subitura notam, crimenque pudendum
Pasiphaes. Esto sed lex: Non audeat ullus
Adstruxisse fidem visis, commentaque famæ
Asserat, & fraudes potius manesque, polumque
Pejeret. Haud Homini licuit fidentiùs unquam
Fallere Dis mediis, atque ipso teste Tonante
Mentiri. Nulla hoc referat pictura, lapisve
Phidiacus: nulli præstent monumenta labores.
Cura sed invisum poterit non altiùs ulla
Dissimulare nefas, quàm si virtute, piisque
Moribus obstemus sceleri. Ventura Nepotum
Agmina (si credant ullos mutasse priorem
Naturam, speciemque Viros) cæleste reantur
Assumpsisse genus, perque acta Alcidis Olympo
Susceptos merito perfundi nectaris haustu.
Dixit, & à visu se lustratura pudendo
Castra subit, monstrisque oculos deformibus aufert.
Stat sed mente nefas, dudumque immane recursat
Prodigium; stirpemque scelus derivat in omnem.
Unde Promethea tanta inclementia Massæ?
Tanta luto rabies? Quid, si Natura creasset
Arma avidis, dentemque truces acuisset in usus?

Num memor Æthereis subducti sedibus Ignis
Vindicat ultrices Genitrix irata catenas?
Et fusos retinens per tela trisulca Gigantes
Usque coquit furias, Sobolemque infensa minorem
Asperat incumbens, & avitos ingerit ausus?
Hinc malè tentatis si non impingitur Astris
Ferrea Progenies, Cælumque edocta veretur;
At quidquid Tellus, quidquid complectitur Æquor,
Exagitat: non ulla suis fera tuta latebris,
Nullum animal. Pavidis fruitur, mensasque gementes
Mortibus innumeris onerat: pugnacibus instat
Ingenio, atque animis, & fraudibus instruit arma.
Dedecus hoc secum, pronumque in monstra revolvens
Humanum Regina Genus nil Regibus æquè
Urgendum statuit, toto quàm robore dirum
Ire malum contrà, seque objectare furori,
Immitesque animos, rabiemque inbibere cruoris.
Nam, si permittas cursum per prona ruenti:
Temperies tunc nulla super. Rupto aggere tollet
Omne scelus vires: molesque impulsa fatiscet
Regnorum, tandemque dabit prolapsa ruinam.
At, si componas mentes, diroque veneno
Exarmes: tunc plena quies, certoque tenore
Alta repurgato concordia crescet in Orbe
Agmine Virtutum comitante, & sæcula terris
Aurea restituet non mentitura metallum,
Cælicolùm pulchrè sed responsura sereno.
Talia versanti, tantisque repagula monstris
Addere, & effusæ meditanti occurrere noxæ
Accessere Duces intempestiva rogantes,
Justiùs & nunquam veniæ meritura repulsam.
Creverat Hynomenen inter, Morinumque simultas
Parva sub exortu primo; potuitque probari

Gustavo non visa nocens; sed nominis æquus
Bellipotentis amor, meritorumque æmulus ardor.
Nam par Martis honos titulis ornarat utrumque
Grandibus, atque equitum geminis præfecerat alis.
At suberat gentile malum, sub Patribus ortum
Triste odium, seris transmissa Nepotibus esca.
Inde animi hostiles, & opertæ semina flammæ
Non latuere diù. Quòd, ni mens provida Regis
Olim civiles furias, cladesque perosi
Sanguine sanxisset mulctandum, si quis in arma
Iret, & infensum privatus stringeret ensem:
Jam tunc alterno rubuisset dextra cruore
Æmula, & invisâ saturasset cæde furorem.
Ergo jussa quies animos suppressit hiantes,
Invitasque manus tenuit. Nec Rege perempto
Ausa nefas rabies justas permensa secures
Christinæ, & nullis parsuram sontibus iram.
Sed mox ille furor cohiberi nescius ægrè
Fræna pati potuit, collectaque pabula tandem
Altiùs incendit, majoremque extulit ignem.
Blandiùs alloquio nam si dignata fuisset
Regina alterutrum: prælatum sæviùs alter
Oderat, inque sui contemptum mente trahebat
Turbidus insanâ, quidquid distinxerat hostem.
Quin modò, cùm latè spoliis cumulasset utrumque
Prolatâ de more manu: sua præmia neuter
Novit in alterius decrescere munere visus.
Sæpius inde tenor turbari dispare ductu
Militiæ, & diræ contagia serpere noxæ
Latiùs, & nullum jam mens audire sequestrum
Dissidii; pejùsque manus in crimina ferri.
Hinc moti Proceres; nullus cùm sisteret ausum
Hortatus, nullusque pudor, leviora duelli

Damna

Damna rati, traheret ne pars infecta propinquos
In cladem, majusque nefas; adiere frequentes
Supplice Reginam cœtu permittere finem
Orantes odiis, erupturumque furorem
Justitio transire brevi, Legumque morari
Processus, cupidosque semel nescire Nocentes.
Institit atque Eunus, cui fandi copia maior
Haud animi vacuus, sed pacis amicior actis
Jam senior, Moscamque olim Legatus ad Aulam:
Justa quidem Reges pronas in vulnera mentes,
Præcipitesque animos, & amantes judice ferro
Rebus & in parvis dubias absolvere lites,
Legibus objectis compescere cura coegit.
Non tamen usque adeò damnosa licentia dextræ,
Sæpiùs ut parvo non sit sublata cruore
Publica pernicies, pluresque redemerit Unus.
Hinc, (si non prohibes sensus proferre latentes,
Atque animi reserare sinus) non futile forsan
Consilium fuerit cupidis laxare parumper
Fræna, nec audacem penitus restinguere pubem.
Scilicet ille calor, quo Martia pectora fervent,
Effluet, & ferri sensim dediscet amorem:
Aucta vel, & nimium vis eluctata rigorem
Ibit in obstantes, correptaque septa vorabit
Flamma nocens, ipsasque trahent incendia Leges.
Quòd si permittes rimas, & pressus hiabit
Spiritus exiguùm, tenues vanescet in auras
Impetus, & nullo nutabunt turbine claustra.
Quin (nisi Romuleæ sit turpe insistere Gentis
Moribus, innumeras olim dominantis in oras,
Viribus & tantùm nostris, animisque subactæ)
Laxabit se jussa quies, paulùmque remittet
Objicis imperium duri. Nempe extulit illa

Amphi-

Amphitheatralem Circum, residemque Juventam
Impulit in gladios, & per certamina jussit
Civica bellorum longos audere labores,
Vulneribusque frui pulchris, & amare cruorem.
Ipse etiam nullis indictus Scipio terris,
Plurima quem gaudes imitari, & vincere perstas:
Cæde parentavit Patri non gentis Iberæ,
Nec Pœni invisi, Latiæ sed sanguine Pubis,
Romanâque manu. Nec par spectacula rarum
Illa dedit; totis inducta est penè maniplis
Sidonias Patriæ laurus jurata Juventus.
Non tamen immodicis Hosti congressibus Arcton
Prodigere, & patrias horter consumere vires.
Sed donare nefas; quoties negat ira remitti
Longior, alloquiis nec delinitur amicis,
Contactuque nocet. Numquid non vulnera prosunt
Ablatura luem, plenamque datura salutem?
Tabida nec læti spectamus membra recidi?
Non impune scelus petimus: medicina rogatur
Artubus infectis. Te par, Regina, sequetur
Gloria, seù teneas Sontes, seu Jura tenebis.
Illa Hominum implacidis jam pridem pectore toto
Infensa ingeniis, & nuper imagine dirâ
Portenti perculsa trucis vix restitit iræ
Luctanti introrsum; sed mulctatura reatus
Utiliter vetitos, justos compescuit æstus:
Placatùmque tuens, & pronùm fronte renidens
Abnuere haud visa est, non aspernata precantes;
Atque ait: Admonitus quando non audiit ullos
Ira vetus, soloque extingui sanguine poscit:
Tractentur gladii, sistatque in morte simultas.
Æmula Nos etiam visu dignabimur arma.
Decretum, fixumque sedet. Fit plausus, & actis

Gratibus abſcedit ſubmiſſo poplite Cœtus
Anxius : atque avidis ſublata repagula dextris.
Nec mora ; ſed medio dirimendis litibus enſe
Proxima lecta dies : tanto præcordia latrant
Diſſidio, tantuſque animos incenderat ardor.
At Regina putans quanto agmine damna redirent,
Si data porta foret, quantumque impelleret auſus
Effrænis Solium : laxataque jura Quiritum
In pejus traxiſſe manus ſat gnara licentes
Cædibus aſſuetas Circi, dum prælia ſenſim
Civica permiſſus diſcit Furor, hauſtaque vires
Perdit Roma ſuas (animo nec Spartacus audax
Excidit, inque truces erecta Ergaſtula motus)
Propoſito inſiſtit, quod ſecum exegerat ante,
Diſponitque modum, patitur nec cauta patere:
Plenius ut plectat non intellecta nocentes.
Nox abit, & dubias aperit lux prima tenebras.
Itur in objectum caſtris lato æquore Campum,
Mars ubi pacificis meditatur bella catervis.
Prominet ante alios, juſtiſque refulget in armis
Par avidum, & trucibus metitur viſibus hoſtem
Reginam opperiens, quæ mox longo ordine pompæ
Adfuit, & poſitum ſcandit venerata tribunal
Non ſatis explicitâ, penitus nec fronte ſerenâ.
Et jam : cùm ſubito patuit Cuſtodia ſulco
Addita Reginæ lateri . Subit inde per agmen
Partitum trux Forma viri, cui tempora Tigris
Umbrat, & enormes artus detracta Leoni
Vellera præcingunt dextro ſubjecta lacerto.
Ille per obſtantes medium procedit in æquor
Enſe gravis dextram rutilanti, & turbidus ore.
Agmina defixit Species truculenta; petuntque
Quid veniat ? Motique Duces incerta timentes

Muſ-

Mussant, & Dominam suspensâ fronte requirunt.
Protulit extemplo vultu se tanta minaci
Attonitis, fulmen meditanti quanta coruscat
In Jove majestas, atque ipsos prævenit ignes;
Atque ait: Adversum postquam submiserit Alter,
Ipse etiam Victor mox sub Lictore jacebit.
Nam, quantum veniæ, tantum indulgebimus iræ:
Nec plus transmittam sontes, quàm Jura tuebor.
Regia vox habuit gladium; sic protinus omnes
Destitui, & subito correpti horrore gelari.
Ante pedes trepidus mox se projecit uterque
Æmulus, & vetitos ejuravere furores;
Damnatumque nefas intactâ Lege recessit;
Nec cuiquam ex illô quæsita licentia ferri.
Interea, cùm nulla daret sperata tumultus
Argumenta fides: nequidquam temporis acti
Indignata moras, resides Regina cohortes
Suscitat, atque aliò versas mentita catervas
Rumpit iter, Pragæque petit rapido agmine muros.
Fama sed antevolans monitis præcaverat Urbi,
Munitasque arces custos insederat agmen.
Non tamen Austriacæ fisa est audacia partis
Credere se campo, Gotisque occurrere turmis.
Ocyùs inclusus miles, qui nuper in arva
Hoste procul posito portis se effuderat altis,
Tuta subit, sepitque aditus, atque ardua servat,
Cætera turba perit nimbo intercepta volucri.
Sic, ubi lustra canes loris jam colla soluti
Invadunt, & versa ruunt per tesqua ferarum:
Omne animal, cui lenta fuga est, pigrique receptus,
Procumbit, subitique jacet sub morsibus hostis:
Ad juga sed capreæ, montisque ad nota citatæ
Cornua dant saltus, perque alta impune vagantur.

Praga tripartitis ambagibus explicat alvum,
Innumerosque capit gremio distenta colonos.
Una habet Artifices: pars Altera surrigit Aulam:
Tertia sed doctæ celebratur Pube Minervæ.
Tenditur in plano prior Arx: huic ponte jugatur
Proxima: consurgit colli commissa propinquo
Tertia, & à lævâ Maldivæ intersecat amnem.
Adjicit huic animum Regina, & destinat ausus;
Scilicet hîc gazæ, domus hîc, penetraleque Regum
Tollitur, atque altâ reliquis de parte minatur.
Nam sibi, Danorum post mersas æquore classes
Funditus in patrio, post Cæsaris arma patenti
Fusa loco, & penitus congestas undique vires
Accisas; tantæ si palma accederet Arcis
Armatâ correpta manu, virtute professâ:
Quid non inferius? Quæ non cessura videri
Obvia vis poterit? Quid non superabile dextrâ
Christinæ? Primas igitur jubet ire sub umbras
Agmina per planum ceù parti intenta sinistræ.
Inde sub auroram converso tramite surgit,
Clivus ubi præceps, inque altam nititur arcem.
Haud secùs æstivam meditatus turbo procellam:
Anceps ante diu pendet, dubioque tumultu
Rauca fremit, mutatque vices, & nubila versat
Turbida; sed demum, cladem per aperta minatus,
Insilit in montes, inque ardua culmina totas
Exonerat furias, suspensaque damna resolvit.
Dant gemitum rupes, &, dum latus omne remugit,
Præcipitant hinc, inde amnes torrente ruinâ
Nubigenæ, vulsisque trahunt radicibus ornos.
Imperat exortes ad prima coire sub armis
Signa Viros, quos ante decus distinxerat actæ
Militiæ, nusquamque animus nutarat, & addit

Sele-

Selectos, plenamque jubet constare phalangem.
Agmina subsidium laturo cætera civi
Objicit, & bifidis tutatur terga maniplis.
Ipsa levi instructu muros conscendere prima
Apparat, atque agili pugnæ proludit in hastâ.
Vixque Ducum precibus serò exorata remittit
Immodicos animos, & summæ parcit in Unâ,
Seque operi differt, major cùm sudor, & ausus,
Disponitque aciem, speciemque, locumque laboris
Prædocet, & cursus monstrat momenta citandi.
Sic, ubi Terrigenùm tentarunt Astra furores:
Pallas in adversum Divos succincta minores
Instruxit, seque in dubio certaminis æstu
Non dedit Encelado mox occursura propinquo.
Creverat humanæ præceps solertia mentis,
Inventisque furens immanibus auxerat artem
Bellandi usque adeò, tela ut Phlegræa Tonantis
Vinceret, & certos devexis ictibus ignes
Mitteret in clausos: flammisque, & pondere totas
Obrueret turres, & propugnacula Pestis
Intima corriperet non extinguibilis undâ.
Hoc usura malo, ne per dispendia lentus
Efflueret Mavors, subitam jubet ire procellam
Eminus in muros; sed, ne consumeret arcem
Ignea pernicies dudum jaculata molares;
Terror ubi primus mediam suspenderit urbem,
Imperat accinctos cursu properare volucri
Ocyùs ad clivum, scalisque in mœnia niti
Ardua, & arreptæ sustolli in præmia pinnæ.
Ecce coruscantes saliunt per inane volatus
Fulmineæ molis, turresque, & septa, domosque
Discerpunt, rutiloque trahunt incendia sulco.
Vertitur extemplo plebs territa: qualis ab imo

Fluctuat Inarime, cùm membra Typhæus anhela
Porrigit, atque aliò fumantes explicat artus.
Inde ſubit legio ſcalis erecta minantes
In muros, ſcanditque gradus. Manus una tuetur
Sub clypeo protenta caput, regit altera greſſus
Nutantes, & fulcra tenet, pinnaſque requirit,
Aeriaſque vias urget: pendentibus armis
Utitur interdum, ſurrectaque tela coruſcat
Eminùs intorquens, ſuſpenſaque bella laceſſit.
Undique concurrunt Cives, adituſque coronâ
Prætexunt densâ, jaculiſque, atque igne morantur
Deſuper ingeſto fiſas per inane catervas
Surgere. Stant alii protentis longiùs haſtis,
Et procul inceſſunt: alii creſcente periclo
Convectant, mittuntque trabes, pinnaſque revulſas
Certatim evolvunt. Nubes erecta per auras
Martia disjicitur latè: ſcalæque, virique
Confuſa ſub ſtrage jacent. Regina receptum
Hac ſpecie perculſa jubet; non cedat inanis
Miles ut à cœpto, ſed, quò ſuccedat in auſus
Integer exhauſto, tandemque infracta capeſſat
Vis objecta fugam, pateatque aſcenſus in arcem.
Ipſa moræ impatiens clypeumque, haſtamque trabalem
Erigit, & dubios inſtaurat prima labores.
Ingeminat vires pubes accenſa periclo
Reginæ, textâque iterum teſtudine muros
Arripit, & toto renovat molimine ludum.
Jamdudum furiis agitatus corda profanis
Caucaſeus Rindax, aviduſque in ſanguine largo
Inſanam ſatiare ſitim ter mœnia luſtrat
Magnum aliquid volvens, aditumque in culmina quærit.
Qualiter inſidias fruſtra molitus ovili
Dente lupus tacito: poſtquam procedit inanis

Aſtus,

Aſtus, & occultas probibet cuſtodia fraudes;
Vertitur ad vires, & aperto pectore clauſum
Arietat in vallum, ſaltuſque in clauſtra minatur.
Nec mora, quà paries paulùm declinat in Eurum,
Applicat ad muros ſcalam, ſeque erigit altè
Intentans clypeum, voceſque ad ſidera jactat:
Ardua necquidquam pavidos indago tuetur.
Nempe hæc Riphæis quoties de rupibus urſos
Altiùs elatos dextra eſt venata, jugique
Miſit in abruptum, captiſve afflixit in antris?
Non, ſi pro trepidis intendat Juppiter ignes,
Quem timor effinxit, vaniſque locavit in Aris
Indiga mens voti, propriis diffiſa lacertis,
Ultima ſecuro non ſcandam culmina greſſu.
Hæc dabat; atque audax alterna in mænia paſſu
Creſcebat, propiùſque manu jam prendere pinnas
Cæperat: ex alto cùm fax vibrata minantis
Ora ſubit, penituſque animæ populata latebras
Proruit è gradibus; ſpoliumque jacentis, & artus
Perſequitur peſtis reſtingui ignara, diuque
Paſcitur exanimem, fumoque, & ſulfure gliſcit.
Sacrilegi impietas adeò manifeſta, nec ipſis
Non gravis indigenis Divûm furor oſor, & ictus
Tam certus, plenuſque fuit, tantoque paratu
Perſtitit extremas conſumere flamma perempti
Cærula relliquias; nemo ut non dixerit ignem
Intortum Cælo, famamque adſcripſerit Aſtris.
Exultat Boius, vireſque inſtaurat, & auget
Gratatus ſocios in propugnacula Divos,
Votaque multiplicat, plauſuſque ad ſidera jactat.
Non tamen Arctoæ minor binc audacia pubis.
Creſcit in adverſos vis obluctata, minaſque
Ardua fert propiùs, propulſanteſque laceſſit

Comminus insurgens, nescitque impacta reverti.
Cui tamen aerias conscendere contigit arces
Ante alios, Aurumque ausu meruisse superbo?
Dissimili ingenio, sed non diversa secuti
Nirmus, & Eurynome Gotorum in marte merebant:
Quamvis principiò mens una, atque unus utrumque
Strinxisset genius, coituraque fœdera Patres
Sperassent thalami, cùm nubilis afforet ætas.
Ulmia contiguos dederat namque una penates
Ambobus, censusque pares; annique, genusque
Alterutri alterutrum commendavere: nec ipsis
Patribus ingratum misceri lusibus ævum
Incipiens fuerat, quò mox constantior iret
Lætiùs in justos felix concordia nexus.
Sic amor exoriens animos afflavit utrìnque,
Inque vicem rudibus libavit pectora flammis.
Mox Deus in puero molitus spicula totis
Viribus Eurinomen strinxit parcente sagittâ.
Inde, ubi vicinæ secuit commercia pubis
Adventus, posuitque pudor discrimen: in illo
Creverunt ignes, sed in hac tepuere favillæ.
Plus tamen in sexu superabat roboris ægro,
Et minùs in firmo; namque hæc propensior armis,
Pronior hic pacis studiis, & amicior umbræ.
Hinc, ubi Germanum cecinit tuba Vandala martem;
Emicuit, sexumque animis vincentibus acta,
Rejectæque procul præponens cingula zonæ
Auxit peltiferas bello jurata catervas.
Horruit insolito Juvenis perculsus amictu;
Obviaque attonito cùm primùm occurrit Amazon,
Fugit ab aspectu, seque altis condidit umbris:
Ultoresque ciens temerata in fœdera Divos
Conscia luctificis implevit questibus antra.

Non

Non tamen inſeſſo valuit de pectore Numen
Excutere, atque hauſtas olim reſtinguere flammas.
Ergo pari ſtudio, quamvis ſtirps unica Gentis,
Deſtituit durâ neglectos mente parentes,
Militiæque dedit nomen, non ſigna Gradivi,
Sed deſertricem mutata in caſtra ſecutus.
Illa fugam riſit non aſpernata reverſum,
Et voti juſſum jam non meminiſſe prioris
Admiſit ſocium, ſed non admiſit amantem.
Hinc mixtæ ſpes, atque metus: hinc dulce probari
Virginis ante oculos, ſeque oſtentare ſub armis
Hàc ſaltem ruptos integraturus amores.
Prima ſed illius ſe ſe objectare periclis
Cura, & in expoſitam verſis occurrere telis.
At nunc præcipuus trepidi timor occupat artus,
Certamen cùm majus adeſt; namque ardua nullo
Arx intranda aditu, ſummique in culmina valli
Nitendum gradibus. Scit noti pectoris æſtrum,
Præcipiteſque auſus, cæcoſque in vulnera curſus;
Laudis ubi merces, & famæ major imago.
Acriùs hinc animos intendit martis ituræ
Tam dubii in fluctus; ſtatque uni impendere vitam
Pectoris objectu; nam quid ſibi vita ſuperſtes
Ducenda in luctus, & causâ lucis ademptâ?
Ergo, ubi conſpexit lituum clangore furentem
Inter Amazonias primam properare catervas
Murorum ad ſepem, ſcalæque in mœnia niti
Conſenſu: rapit ipſe gradus geminâ abjete nexos;
Surgentique latus lateri committit, & unà
Emicat objectans clypeum de culmine telis
Intortis, carumque caput tutatur, & ægram
Sæpiùs ingeſtu ſaxorum, atque imbribus ignis
Sulfurei attollit, ſolamque in turbine tanto

Reſpi-

Respicit Eurinomen, unique & vota, manusque
Anxius intendit, ferrumque ignorat, & ignem
In se conversum. Tandem illi ad culmina apertus
Nisus, & ad pinnas aditus reseratus anhelis
Ausibus. Arreptis poterat conscendere Nirmus
Mœnibus, atque arcis primus juga summa tenere.
Sustinuit gressus; & tunc, si quando, labantem
Sustulit Eurinomen, propulsisque hostibus, omni
Robore connixus muris injecit, & alto
Vertice sublimem statuit, cunctisque videndam
Exhibuit, tandemque locum meruisse secundum
Lætior in capti pariter stetit aggere claustri.
Et, velut hoc ipsum dextræ deberet amicæ,
Solvitur in grates, meritumque immane fatetur,
Proclamatque procul, titulisque, & laudibus implet.
Cujus ope excelsum conscenderit ardua culmen,
Ipsa quidem norat; palmæ sed tanta cupido,
Tantus amor socias sumptâ transire coronâ,
Ut simul auxilii pudeat, pudeatque pudoris,
Imponatque sibi, nec quantum debet, amanti
Imputet. Hinc dubio successum transigit ore,
Incumbitque operi, flagransque aufertur in hostes
Perculsos. Sed pugnat adhuc Germanus, & urget
Pendentes, omnisque coit denso agmine civis
Ultima fata movens: ingensque in vertice summo
Integrat illisus, nec se mars explicat anceps.
Nil tamen usque adeò stantem pro turribus hostem
Conficit, ut jactu incessens, & voce Virago
Regia, successusque urgens, animosque ministrans.
Inde subit gelidus distantia pectora terror:
Inde vigor sociis vires instaurat, & hastas
Concitat, atque addit muros scandentibus alas.
Et jam non solùm claustri pars alta laborat;

Ultima

Ultima dissiliunt; crebro nam fulminis ictu
Ima labant; cladesque duplex contundit anhelos,
Crescentique diù tandem dare terga coegit
Diluvio. Tunc Cimber ovans pugnata capescit
Mœnia prorumpens, & jam custode vacantes
Occupat ingressus vexillaque turribus altis
Arctica suspendit, trepidantique imperat Arci.
Ut maris in medio cùm deprendere carinam
Æolidùm partita cohors: latus omne flagellant
Turbinibus raucis, cæcisque assultibus instant,
Armaque diripiunt. Salit hæc, circùmque rotatur:
Et nunc ima gemunt: hausti nunc igne ceruchi
Fulmineo strident. Perstat tamen una tot inter
Crate hostes firmâ; donec compago fatiscens
Dat rimas, panditque aditus. Tunc victor inundat,
Et lacerâ decimus dominatur fluctus in alvo.
Nec mora præcipiti funduntur ad intima saltu,
Claustraque diffringunt, & vulso cardine portas
Prosternunt, Dominamque alacres per limen apertum
Accipiunt. Subit illa Ducum stipante catervâ;
Affusæque ruunt undâ crescente phalanges,
Suspectasque vias, infessasque hoste latebras
Excutiunt. Sparsas sed longè ejecerat omnes.
Jam fuga relliquias; ululataque tecta tumultu
Fœmineo miseris urebant questibus aures.
Nam furor in cursu prçceps, vindexque cruoris
Largiùs impensi captâ peccabat in Urbe.
At pia supplicibus nunquam non prona, catervis
Imperat exermis parci Regina, nefasque
Edicit sævire manu, gladiosque recondit.
Neve ibi prædarum congestos Miles acervos
Conscius ingentis cumuli nullo ordine fusus
Diriperet; pariterque Operum monumenta perirent

Æternum meritura diem, Regumque verendæ
Exuviæ: posito laceri in munimine muri
Præsidio, revocat vicina in castra phalanges,
Et jubet exortes mox expectare laboris
Mercedem, cæci casum nec malle tumultus.
Tunc, quia pugnatæ restabat portio lucis
Non brevis; insesso suggestu cespitis alto
Imperat acciri superati ad præmia muri
Eurinomen, Nirmumque simul. Prior emicat illa
Festino secura gradu. Mox lentus, & anceps
Adfuit imperio Nirmus non ulla reposcens
Premia Mavortis, sed tantùm testis habendus
Virginis ornandæ meritis, animamque daturus,
Eurinomes potiùs quàm libaturus honores.
Regina amborum primos sat noverat annos,
(Nam pariter dextrâ insignes, & origine clari)
Eurinomesque facem refugam, nomenque Dioni
Expunctum, Martique datum, juvenemque trahentis
Impensum studiis, & non sua fata sequentem.
Nuper & aerio dum nutat in aggere Virgo
Scandendo, dubiam vidit fulcire, suique
Oblitum cursus urgenti desuper hosti
Obtendi, atque infrà anniti, casumque tenere.
Ergo, ubi processit Virgo, Regina coruscum
Intendit sertum, lætoque hæc edidit ore:
Accipe promeritâ staturam in fronte Coronam,
Muralique auro, sed plus Virtute superbum
Tolle caput, sociasque inter consurge, Virago,
Belligeras. Solo non hoc tu munere digna.
Fertilis augescat merces, & adorea crescat.
Hunc adeò (& Nirmum dextrâ signavit) habebis
Muneris accessum Tædarum munere junctum
In quascunque vices, & toto pectore votum,

Seu te castra juvet, patrios seu malle penates.
Quid rubor ora subit? Securum mitte pudorem.
Auspice Christinâ cui non sit nubere pulchrum,
Et labi exceptum? Thalami vicina jugalis
Fædera pulsa procul, prælataque castra cubili
Novimus, atque aliis suppressos ignibus ignes,
Meque thoro antehabitam; memori quod mente recondo.
Si virtus; huc usque licet traxisse morando
Spes interdictas. Durà satis aure rogantem
Transisti. Matura venit, sudataque multùm
Emerito merces. Scelus est obnitier ultrà
Sponte reposcendo, votisque, & dote petendo.
Quin, si me Regum meritis tam grandibus ullus
Vinxisset. Tacuit nimiùm progressa, manuque
Apprensam, & flavo jam nexam tempora serto,
Jam facilem Nirmo tantæ in caligine sortis
Tradidit attonito; lætisque per avia totus
Vocibus obstrepuit, plausisque Exercitus armis.





LIBRI DECIMI


ARGUMENTUM.



Egina orto Sole captæ Urbis Arcem ingreditur ; & quantâ vicerit mercede, recognoſcit . Super cæteras opes Aulæorum admiratione afficitur , quorum mentem, & originem edocetur. In his Manto eorundem artifex ipſius Chriſtinæ ſpeciem, & geſta ab ortu uſque ad exitum fatidico magiſterio præconſignaverat. Horum anacephalæoſis, ſive recapitulatio, & expoſitio . Regina improviſo morbo corripitur, qui veneni fraude propinatus, curis principiò , & vigiliis imputabatur . Exercitus conſternatio , & conqueſtus . Extremo in diſcrimine laborantis præceps votum, cujus increpitam Numen ex inſperatò ſanitati reſtituit.



LIBER DECIMUS.



PRompserat Eoo roseam de gurgite bigam
Aurora instanti recludens Æthera Soli.
Nec mora : lætifico fervent jam Castra tumultu
Excita, & inductis Regina supervenit armis.
Itur ad Aulai dives penetrale repostæ;
Et, quantâ sit Martis opus mercede repensum,
Inspicitur, quanto cumuletur adorea lucro.
Panditur Austriacæ congesta opulentia gazæ:
Plurima signati, vacuique talenta metalli
Flaventis : Tyrio Vestis saturata veneno:
Ingens argentum : Lapidesque Oriente relati
Luce coruscantes variâ : multusque Myronis,
Multus Apelleæ labor inclytus artis, & artis
Phydiacæ : pictique Pharo texente Tapetes
Hinc, inde expositi prostant, oculosque morantur;
Armorumque strues, Martique operata supellex.
Omnia sed longè super hæc hausere tuentes
Plumata, usque adeò vivis animata figuris,
Ut voces proferre putes, atque intima clausi
Promere sensa animi, mentisque aperire recessus.
Dos minor inserto dives contextus ab auro.
Stamina vincit opus, pretiumque accedit ab arte.
Nec species confusa perit; certo ordine pandit
Lucidus instructi Paries Aulæa theatri.
Adjicit huc oculos Regina, atque admovet acres
Intuitus. Illis nuper te, Mantua, Mavors
Exuit Austriacus, Fati ludente sagacis
Ingenio, & Pragæ peritura condidit arce,

Postmo-

Postmodò Christinæ ventura in præmia magnæ,
Cujus vaticino referebant gesta labore
Temporis, atque operum vario distincta tenore.
Haud tamen occultos intrare, & prendere sensus
Sufficit; atque auget sese irritata cupido
Acriùs. Ergo aliquem, cui sint ea pervia, poscit,
Prorsus ut ignaram ducat per singula mentem.
Mos fuit à Manto longum servatus in ævum
Ex tot virgineis Terræ cognominis unam
Cœtibus excerpi, quæ tanti ab origine Textus
Notitiam rerum, seriemque instructa teneret;
Quò, si quis Regum præsaga Aulæa doceri
Posceret; arcanas cupido proferre figuras
Posset, & occultos ex ordine promere sensus.
Hæc tunc Reginæ, morem monstrante ministro,
Olim cui tantæ custodia tradita gazæ,
Adfuit accitu; namque hanc cum ditibus Urbis
Tralatam exuviis Victor Germanus, & omnis
Exortem cladis veterem servarat in usum.
Atque hæc exutæ galeam simul ora notavit
Christinæ, obstupuit, vocemque, gradumque repressit.
Nam, quæ per textas regnabat prima figuras,
Effigies, Hujus speciem referebat, & ora.
Hinc prope retractans [redacted] *sagi argumenta laboris,*
Huic Opus impensum novit; nam gesta, genusque
Componi signis, & consentire videbat.
Ergo sibi è cunctis Fatum indulsisse latentes
Læta Figurarum sensus aperire petenti
Ipsarum Authori, jussis accedit, & altè
Gaudia dissimulat, quò per monumenta vaganti
Liberior cursus, nulloque pudore retentus
Reginæ, flueret, seriemque evolveret omnem,
Textus ubi parcè signatos proderet actus.

Inde

Inde ſubit propiùs, flexòque ita poplite fatur:
Floruit Auſoniæ in medio, dum fata ſinebant,
Mantua Vaticinæ nomen de nomine Mantus
Sortita, & Ducibus regnata, atque aucta vetuſtis,
Heroum quibus alta venit de ſtirpe Propago,
Regibus optata in tædas, & Regibus æqua
Virtute, atque animis, nec cenſu divite diſpar.
Quos tulerit Gens tanta Viros, ſatis acta minoris
Oſtentant ſexus toties capita alta potentum
Enixi Regum. Sed quid diverſa revolvam
Accìta in lucem Textus? Suffecerit Una
Cœtibus excerpta è cunctis. Hinc illa Methildes
Edita, perpetuos cui grata inſtaurat honores
Promeritæ, atque auctus refert Roma inclyta primos.
Hanc Manto ſedem Thebarum mœnia ſupra,
Vagitumque ſolum Terræ natalis amavit,
Muneribuſque auxit magnis. Hìc ſumere vittas
Sæpiùs, & ſortes populis aperire futuras
Plurima gaudebat. Noſtras nec prodere clades
Abſtinuit; ſi quo inſtantes evadere caſus
Fas foret ingenio. Sed qui convertere mentem
Admonitus valeant, & Fati rumpere curſum?
Noſtra tamen ſpacio non duratura perenni
Vulnera prædixit, redituri haud caſſa ſereni.
Et jam converſis reſpirat Mantua Divis
In melius, reſtent quamvis veſtigia diræ
Noctis, & enormis deformet membra cicatrix.
Sed neque ſubverſæ ferroque, atque ignibus Urbis
Immune à mulctâ ſcelus eſt; namque altus ab Arcto
Incubuit turbo; nec juſta piacula ceſſant
Ex illò; & largo penſatur ſanguine noxa;
Quamvis haud lætus Cæſar nimis enſis adacti,
Caſibus ingemuit noſtris, tituloſque refugit.

Sera sed hæc clades: dilectas Præscia terras
Dignari interea aspectu, præsensque videri
Perstitit, Argolicis rarò quod contigit oris.
Illa etiam, extremùm cùm non reditura recessit,
Addita Concilio Superùm, mansuraque Cælo,
Aulæa in magni monumentum, & pignus amoris
Hæc priùs ordita est (ornatum Principis aulæ,
Et pretium) sacroque has misit pectore voces:
,, *Aurea lustratis remeabunt sæcula terris,*
,, *Præcipuè Ausoniis, cùm se indulgebit ab Arcto*
,, *Bella trahens primò, mox autrix pacis Amazon,*
,, *Cujus in hoc tractim signamus gesta labore*
,, *Palladio. Vastator opum, raptorque tuarum,*
,, *Mantua, tunc solvet pœnas; & præmia dextræ*
,, *Vindicis hæc tantùm Victrix Aulæa Virago,*
,, *Excerpet, secumque feret, cùm Sceptra relinquet*
,, *Orbis Hyperborei, Romanasque incolet arces.*
Hæc Opifex: sagi mens hæc, & causa Laboris;
Quemque loquatur Opus, tu Te Regina docebis
Ipsa tibi interpres, non indicis indiga nostri.
Plurima sed restant, nec pars sat sufficit una,
Impleat ut penitus tantarum oracula rerum;
Gesta facem tollant quamvis transacta futuris.
Dixit, & ut mutis accommodet ora Figuris,
Stat ponè, & juncto percurrit singula visu.
Prima Operis summam Species spectantibus offert;
Textorumque docet quò cæperit argumentum
Artifici: annorum procedunt cætera ductu.
Hàc ibat purâ prolabens Mincius urnâ,
Vicinoque lacu prognatus margine pulchro
Nutribat Regum signatos nomine flores.
Illius in ripâ redimitus tempora serto
Non uno adstabat Vates sub tegmine fagi,

Quam

Quam ſubter calami tenues, & avena jacebant;
Sed Tuba de ſummis pendebat Martia ramis.
Non longè vittata comas ſe præſcia Manto
Tollebat ceu plena Deo, diſtantia fata
Viſa loqui, & digito majoris Virginis illi
Annuere ad ſpeciem, dignamque Marone coronam
Oſtentans Phrygii carmen ridere laboris.
Ipſe æger, viſuſque ſacro defixus in ore
Dilatos queritur quòd non indulſerit ortus
Atropos; & primæ ſordent jam præmia laurus.
Virgo autem triplici frontem diademate cincta
Alta repellebat terras, cælumque ſubire
Ardebat: ſed paſſa tamen tellure morari,
In præceps verſi dum res componeret Orbis.
Mœnia ſub pedibus, disjectaque roſtra, Duceſque
Semineces, triſteſque ſolum fumante cruore
Exhalans nebulas, & circùm mortis imago
Plurima, & inſano ludens in pulvere Mavors.
Ipſa autem trepidi tantâ in vertigine mundi
Non oculis, non ore minax, ſtat fronte ſerenâ
Fœdere nunc Martem, nunc fœdera Marte repoſcens.
Dextra tenet gladium, ramos intentat olivę
Lęva, pari ſtudio ſe impendens undique terris.
Una ſalutifero pertentans ulcera ferro
Proſpicit intactis, corruptoſque amputat artus.
Altera collectos lęta ad commercia ducit
Virtutum cœtus, & pulchras aſſerit artes.
Hac placuit Specie tantis proludere Textis
Artifici; hinc totum ſe in partes digerit agmen.
Ecce autem exortus dudum meditata reſolvit
Cunctantem Lucina uterum: Matrique, Patrique
Gaudia mixta ferens ſexu Hanc, Hunc indole reddit.
Hinc ſibi plus Genitris Fata indulſiſſe putavit

Fœmineo in partu ſat Regni ad jura tenenti.
Sed citò Naturam magno propenſa Parenti
Correxit Virtus; mancamque abſolvit, & auxit.
Plenior hinc animis, nec ſucceſſoris habendi
Anxius ad metam ſtetit hanc, atque hæſit in Unâ.
Quęritur interea, tantę qui cultibus adſint
Indolis, & magni quos non provincia laſſet
Muneris (in mores formandi namque pudoris
Cura minor precibus Matronæ è ſanguine Regum
Ceſſerat ante ortus merces, haud norma, laborve.)
Sed quis tam volucri par menti? Ponè ſecuta eſt
Regula directrix; & plus didicere Magiſtri.
Quicquid in abſtruſis conflat Natura latebris
Abdita: quis ventos cieat, terręque, marique
Injiciat tumidos, varioque à cardine laxet:
Quid teneat fluctus, bibuliſque illidat arenis
Altiùs elatos: quo paſcat ſidera rore
Tethis, & ambiguas quâ lance reciprocet undas:
Quæ Phœbi, Phœbeſque viæ: quis dividat annum
Circulus; & rerum durent quo fœdera bello,
Ocyùs aſſequitur; mentemque informat, & ornat.
Hinc ſe demittens, quicquid labor extudit arte
Arduus ingenuâ, Genteſque polivit, & auxit;
Pervoluit. Faciles mox acri examine penſat
Quæ faciat populos, quæ freno reddat amicos
Temperies: quo ſummus Honos munimine conſtet
Tutior, & juſtos deceant quæ metra Potentes,
Intima percenſet. Sed viſu in Sidera tolli,
Arcanaſque vices, venturaque prendere fata
Jam tum primus amor. Patrii namque altiùs ire
Ætheris allectu, ſenſimque relinquere Terram
Cælo Aliquid majus, nimioque in lumine clauſum
Sollicitas acies, animumque impellit anhelum.

Non

Non secùs æthereas longè qui crescit in auras
Arduus, & reliquis dominatur montibus Atlas:
Non tam verticibus, cornuque minante superbit;
Quàm, quòd sidereis humeros accomodat aptos
Orbibus, & fessos non fessus sustinet axes.
Hîc species diversa subit, sed laudibus æqua,
Proximiorque mari, mollesque exosa cathedras.
Nam lectis gaudet se permiscere Virorum
Cœtibus; elapsæ donec sub tempora lucis
Segniùs ad Matrem sera, & non læta recedit.
Degeneres tractare colus, plaususque mereri
Laudis Aracnæ dos altę incognita dextrę.
Nec tunicis gemmas, atque internectere pallæ
Littoris Eoi lapides; sed fortibus armis
Addere cura frequens, hosque insertare corusco
Interdum capulo, galeamque ornare comantem.
Fundere cornipedem, laxisque impellere frenis;
Mox subità revocare manu, pressisque lupatis
Frangere, & obsequium nullo non velle per actus:
Armorum quodcunque genus tractare; sagittâ
Longiùs objectæ, jaculovè incurrere metæ:
Præcipites urgere gradus, atque ensis, & hastæ
Ferre minas propiùs, varioque lacessere ludum
Ingenio Regum quis non concesserit illi?
Cui vigor, & dubii tanta experientia Martis?
Hæc Studia, hi mores: quòd si interjungere mentis
Pondera longa placet, seque integrare labori:
Migrat ad Aonias Dux, & tutela Sorores;
Inque vicem laudes Heroum pangit, & audit.
Verba etiam humanæ quotquot concepta loquelæ
Emittunt, properat callere. Inde ipsa per omnes
Miscet se populos; & per commercia linguæ
Responsa Externis nullo usa interprete reddit.

Jam-

Jamque hîc exequitur, quicquid præcoxerat ante
Vis consulta animi. Sublato namque Parente
Sufficitur Regnis, tralataque sceptra minatur.
Undique res trepidæ: Socii sua lucra secuti
Versi aliò, cladesque recens, Hostisque refectus
Viribus externis, infensaque singula circùm.
Quin rejectorum non constatura Procorum
Fœdera Rutheni, Danique; olimque Nepotum
Exactrix non lenta Parens, stirpemque reposcens
Quolibet ingenio; longinquaque bella perosus
Civis, & erepto despondens Rege triumphos.
Attamen una sibi satis est divisa per omnes;
Componitque alios, alios contundit; iniquos
Corripit, aut tandem plectit: per munera Fortes
Allicit ad laudes: dubios confirmat: opertos
Excutit: alloquiis maternos temperat æstus
Lenibus; atque omnis momenti gnara, vicissim
Nunc differt, nunc urget opus, cauta undique, certo
Et vigil intuitu; nullique accommoda fraudi.
Haud satis est duris non frangier: addere cultus
Cultibus, & studiis alternæ Palladis instat
Altiùs Indigenùm cumulare, & tollere mentes.
Neve quid algentis plaga dissita Cardinis obstet;
In varias satagit commercia spargere gentes:
Orsa Caledoniis à noti littoris oris.
Hinc per inexpertos etiam vaga robora fluctus
Legat, & Arcturo geminos communicat Indos
Non passa amotos quicquam nescire Tirones,
Quod dat proximior Sol ditibus incrementis.
Extera susceptis sic præstat commoda regnis:
Intima sic pacat: sic circumfusa coercet.
At non Humani tantùm conatibus Hostis
Cogitur obniti, Terræque obvertier armis.

Insidias,

Insidias, bellumque trahens, geminumque furorem,
Gliscit, & alternis se viribus instruit Orcus:
Inque unum tot tela caput manifestus, opertus
Intendit. Prædę nam, quam præceperat, anceps
Instat, & hanc laqueis circumdare pluribus ardet
Vique, doloque simul. Lituos en inflat Enyo
Integrata truces, hastamque, facemque coruscat,
Et propè compositos in prælia Teutonas armat.
Hæc procul; ut bellis Virgo distracta vacaret
Ægriùs insidiis prendendis, perfidus olim
Regna quibus Luther malè cautę innexerat Arctos.
Sed gravior, pejorque domi vis ingruit, intùs
Fœta dolis, extrà specie suffusa dolosâ,
Et Regni prætexta bono, sceptrique labantis
Abdita præsidio. Plebes, Proceresque, Parensque
Conjugium poscunt; precibusque, & fraudibus urgent
Successum: Nutrixque palàm, Sociæque latentes
Insinuant blandas vario molimine tædas,
Donaque Sceptrigerum numerant, & vota Procorum.
Callidus hinc, illinc tantâ se subjicit arte
Hostis, ut alterutrâ vincatur fraude Virago
Vel capta illecebris Veneris, vel territa Martis
Casibus; & residi tandem se cogat in aulâ
Submittens animos curis innexa maritis.
Illius in cladem sed si se sustulit Orcus:
Haud Superæ dilator opis cessavit Olympus
Ferre manus contrà. Cernis, quam leget anhelę
Numen ab excelsò Prædem? Spes ergo salutis
Certa. Nec Ætherei stetit hìc tutela, favorque
Polliciti. Imperii fines proferre, triumphum
Non unum in terris superaddit largus, & inde,
(Dummodò non flectat recto detramite gressus)
Participes secum Thalami, Regnique receptus.

Auspice

Auspice tam fido manifestâ est voce professa
Nullius in tædas cessuram: cœlibe vitâ
Sat læta, & curas tantùm complexa viriles.
Certa nec ex illò tentata est fraudibus ullis
Virginitas. Siluere preces, rejectus & omnis
Ambitus, atque animo pax est asserta pudico.
Prælia restabant tumidi pars altera Ditis,
Hostis ubi moles operosior, auctaque nuper
Incrementa mali, Nortlingæ in pulvere latè
Viribus accisis, & Cimbro penè peracto.
Major at hinc clades inimicum plexit Avernum
Vindice sub tantà. Cernis terrâque, marique
Turbine quo sternat Danos? utque inde reversa
Immensam per regna trahat Germana ruinam?
Spectatis hucusque fides impleta, suusque
Exitus, ut decuit, respondet. Marte secundo,
Hoste nec ulteriùs fiso se credere campo,
Sternit, quidquid obest, & clausas proruit Urbes.
Pragam scilicet. *Ipsa etiam hanc Arcem (nimiùm provecta, repente*
Substitit; inque vicem se respexere; sed Illa
Deprendi rubuit, prolapso Hæc palluit ore.)
Nam, donec species se consona proderet actis,
Authoremque palàm Texti monstraret imago;
Condere notitiam se se retegentis utrique
Consilium fuerat; linguæ quò liber, & auris
Usus: & in latebris Hæc disceret, Illa doceret.
Sed risu mox plausa brevi, recreataque fronte
Lenè renidenti, verba intercisa resumpsit.
Hinc jam nullus obex, summoque in cardine Cæsar:
Hæc operis, votique potens, & certa triumphi;
Cursibus in mediis statuit cùm parcere victis
Supplicibus, cohibetque manus, ensemque recondit
Ipsa sui victrix, Mundoque impensa Virago.

Altera

Altera Cocyti ſic contudit orſa ; nec ultra
Indulget terris , toto ſed pectore Cœlum
Arripit , & vires huc vertit , & applicat omnes .
Nec mora ; tranſmittit victrici Claſſe profundum
Ditior hòc , ibat prædæ quò prorſus inanis :
Maior at , exhauſti quòd ſe ſub fine laboris
Subſtinuit , pacemque dedit jam penè ſubactis ,
Abnuerat belli , quam dum fortuna pependit .
Undique Legati cunctis à Regibus adſunt
Gratantes reducem , geminoque in marte potitam
Pro libito votis , & , quantum haud obſtitit , auctam .
Latiùs hinc nomen prolatis finibus actum ,
Totaque in obſequium ſolis vel nutibus Arctos
Et , quæ infenſa priùs , diſcorſque , atque æmula ſceptris Dania .
Conſtitit , & dudum ſtudiis diſſenſit , & armis .
Jam partis , jam pace frui , jam divitis Aulæ
Impleri illecebris , inque ocia blanda reſolvi
Tempus erat . Mendax aliud nec Fama futurum
Spargebat Regum de more Viraginis auſa
Metiri ingenium . Sed quos non falſa fefellit ?
Scilicet hoc ipſo Fortunæ , & Pacis in auctu
Deſcendit Solio , terrenaque Jura peroſa
Donat Hyperborei ſceptrum ſublime Clienti
Orbis , & Arctoas jam ſat dignata pruinas
Se procul externis majora in munera regnis
Deſtinat . At , quamvis Tyrios rejecit amictus :
Perſtat Honos , ſemperque Caput Diademate ſurgit ;
Auctaque perpetuo Majeſtas creſcit in Oſtro .
Ecce autem ſtudiis certatim ardentibus Urbes ,
Quotquot præcipuâ tollunt ſe dote per Orbem ,
Intendunt palmas , & vultu ſupplice poſcunt
Præferri , laxantque ſinus , & mœnia pandunt .
Sed , quam tam lecto dignentur pignore Divi ,

Imponantque aliis, & magno munere ditent?
O' nunquam non chara Polo, ſortitaque ſemper
Summum, Roma, decus, partiſque ignara ſecundæ!
Tolle caput Cælo; ſeptenaque culmina ſurgant
Altiùs, & flavâ Tibris fluat aureus undâ.
Te ſors tanta manet: tu tantæ Heroidis una,
Una capax legeris. Te nunc metire, tuoſque
Tolle procul faſces, atque æmula deſpice vota.
Atque equidem meritò; totâ nam mente ſuperbum
Depoſitum devota coles: quo læta triumpho
Illius acceſſu! ſed quo mox verſa tumultu,
Cùm pulſata ſalus, ancepſque hærebit in arcto
Spes tua; nec juſto procedent fila tenore!
Sed gratare tibi: lachrymis evicta tenebunt
Fata tuis curſum; dudumque beabere magnâ
Hoſpite, & in longam durabunt gaudia metam,
Certaque ter denos ibit Tutela per annos.

Innuitur Romæ trepidatio, quoties Reginæ Salus non conſtitit.

En poſitis vittis, & Majeſtate retentâ
Longum iter aggreditur, fruſtraque latere laborans
Proditur externas luce erumpente per oras;
Dum lapſi in luctus, & apertâ penè Triones
Seditione dolent (ut vincla inviſa peroſi
Sæpè fremunt populi, libertatemque repoſcunt)
Dimitti, ſolvique jugo. Subit ecce per Alpes,
Altaque nimbiferi de rupibus Apennini
Inſubriæ tractus, atque Heſpera Regna ſalutat.
Mox, quos ſummus Apex Terpeiâ legat ab Arce
Hoſpitis ad tantæ occurſus, excepta Dynaſtis
Sollicitat feſtina vias, Picenaque Templa
Ingreditur ſupplex, atque in donaria voti
Pectoris Algentis gemmata Inſignia mundi
Virginis ante pedes ſubmittit cernua Matris.
Tantus & in famulam recipi nunc ambitus inſtat,

Quan-

Quantus in Arctoum tolli non institit Orbem.
Inde iter instaurat; populisque undantibus arctas
Eluctata vias Romæ se præstat anhelæ,
Non aliàs ausæ tantum sperare triumphum;
Momentoque Parens uno non unus, & Unus
Excipit: in terris magnus, sed major in Astris.
Ex illò Æthereæ renovata afflatibus auræ
Grandior incedit, totoque augustior ore
Affulget Romæ; seque actu monstrat in omni
Digressam nuper Cælo, madidamque beatis
Haustibus, atque olim redituram rursus eòdem.
Ergo animo quicunque viget, pulchrasque per artes
Eminet: erigitur quisquis per Martia gesta,
Huc simul approperant, solioque Heroidis adstant
Agmine devoto. Tutatur, & auget amicam
Congeriem; sed rarus honos meruisse probari
Prorsus, & accessu non caligare propinquo.
Hos super emittit radios, ceu Lucifer ignes
Affligit socios, rutilantique imperat astro:
(Omnibus excerptum Vates Hunc sæpè locuta est
Præscia) Nerliades: stirps primo è germine Gentis
Meoniæ, Patruo qui mox successor in ostro,
Insignis vittis, & Phœbi fronde revinctus,
Quamvis tot decorum censu in tam divite Lauri
Dissimulatus honos, suppressaque gloria plectri.
Vindicat Hic primus sibi corda Viraginis arcto
Virtutum vinclo, mirantique altiùs hæret
Omnibus antehabitus. Nam quis par mutua præstet
Ingenio, atque avidæ documenta, & pabula menti?
Sæpiùs haud unam quando Hic Legatus ad Aulam,
Mox arcanorum Custos, rectorque supremi
Consessus. Hinc jura Petri seu missa supernis
Sedibus, atque illinc vires habitura reposcat:

Seu latebras, Natura, tuas, causasque revolvat;
Repperit hîc, quicquid rimatur fonte redundans
Immenso; doctamque sitim restinguit, & auget.
Nempe illi Sophiæ pars nulla intacta, nec ullus
Sudor inexpertus. Mens Idem, normaque Juris.
Perque gradus omnes, quamvis cunctantibus annis
Transilit impensus Terris, impensus Olympo:
Arduus, & nullâ respersus labe, manuque
Largus, & in magnis meritus majora, nec ipsi
Dotibus ingenii Reginæ, & cultibus impar.
Interea nullis in cassum passa rogari
Supplicibus partitur opes, aurumque refundit
Larga manu, hoc solùm tactu dignata, levari
Quo merita est Virtus, Pauperque juvandus, & hospes.
Nec minùs, insurgens quicquid molitur Erynnis
Rixarum cives inter, dissolvit, & altâ
Compositis dat pace frui, conversaque flectit
Pectora, & in vitium pugnas hortatur honestas.
Non tamen Ausonii non ultra limitis oram
Tendet, & his tantùm spaciis contenta quiescet.
Latiùs excedet; finesque egressa Latinos
Consulet externis præsens, & provida Regnis.
Liligeras lustrare plagas en gaudet amico
Nexu olim junctas Germani in prælia Martis.
Atque iterum Gallus belli compendia nactus
Plurima Teutonici latè jam finibus auctis
Huius ab afflatu longè potiora propinquo
Lucra trahet. Tantæ nam mox exempla secutus
Hospitis ejecto, quicquid pars una veneni
Hauserat, in Terris constabit totus, & Astris
Integer, & Titulis respondens prorsus honoris.
Huc adverte oculos, paulòque hîc longiùs hære;
Plurima nam rerum species, & fusior ordo

Armo-

Armorum objicitur; nec solùm Cæsaris Urbes
Haustura, & populos, sed, si succedat, in unum
Tractura Italiam clades, & sceptra Quirini.
Arcem, quæ prostat, sat noveris esse Viennam
Augusti sedem: si, quæ procul eminet, Ales
Unius haud capitis, geminusque advertitur Ister.
Nec minùs, immenso qui vallant agmine muros,
Esse Scythas noris; Lunis si inscripta notentur
Vexilla, atque arcus, omnique in vertice Turbo.
Thrax olim incœptis instans, ausisque Tyrannus
Sub juga Christicolas cogendi barbara gentes,
Quà mare, quà tellus: citiùs quò fine potiri
Immodico possit, Romam sibi subdere totis
Viribus instituit, stirpemque abolere Latinam.
Nam, si victori procumberet inclyta Mundi
Roma Caput; facilis mox Cætera præda venirent.
Sed videt Austriacam tumidis conatibus Arcem
Obstare, immensam nec posse absolvere molem
Hac stante, & sacræ studiis hærente Tiaræ.
Sudor at hic ingens, atque alea plena pericli,
Et spes immenso vix successura labore.
Nam latus ingressum conantibus objicit, altis
Mœnibus, atque animis, titulisque effulta Vienna
Non semel Ismarii nisus frustrata Tyranni.
Saucius hac curâ tacitis manifesta recondet
Arma dolis aliò simulans spectare paratus
Martis, & Euphraten prætendet callidus Istro.
Momenta insidiis donec jam commoda nactus,
Tergeminique diù succinctus viribus Orbis
Flectet in Augustum contemptâ pace catervas
Non armis, opibusve parem; nam sidere lævo
Ibit in alternas discors Germania cædes,
Bistoniisque hærens arcano fœdere Pannon

Exeret

Exeret in Dominum ſceleratos perfidus enſes.
Nec ſatis in curſu mulctatus proderit auſus,
Oppreſſique Duces, opportunæque ſecures.
Latiùs in plures ſerpet nam poſthuma peſtis;
Nadaſt. Frangip. & Tatimb. *Deque tribus juſto Cervicibus enſe reciſis*
Erumpet tam multa ſeges fœcunda veneni,
Inque diem nocitura magis: compleverit angue
Parciùs ut Libyen Caput exitiale Meduſæ,
Docta per attonitas quod fabula tranſtulit aures.
Sed, neque ſinceris, &, quos ſuſpectus habebit
Sollicitos belli nimbus, minùs apta dediſſe
Tempora maturo poterit Fortuna periclo.
Nam procul Iſmarios nuper perpeſſa furores
Sarmata vix primum ſiccabunt Regna cruorem,
Atque inteſtinos agitabunt turbida motus.
Ergo moræ impatiens dudum collecta citabit
Agmina non cautum Biſton converſus in Iſtrum.
Provida & inſidas ſi non præſenſerit artes
Europæ Cuſtos, fraudeſque intrarit opertas:
Callida ſucceſſu gaudebunt orſa ſecundo.
Illa ſed Arctoi cùm primùm libera ſceptri
Pondere Romuleâ ſedem ſibi figet in arce
Undique, ubique vigil, Mundique impenſa ſaluti,
Noſcet ab Odryſio fidæ Prędone cavendum
Nunc, olim Caulæ; noſtriſque hunc cladibus auctum
Urgere inceptus, avidoque inſiſtere voto.
Hinc ab inexpleto viſus non auferet Hoſte,
Suſpectoſque ſinus penetrabit lumine certo,
Deprendetque dolos: & feri ſceptra Tenentem
Imperii extemplò armari, nec fidere paci
Tracturæ in præceps iterumque, iterumque monebit.
Nec minùs hortatu Reges orabit anhelo,
Conciliat quos una Fides, ſocia arma citare

Nutan-

Nutanti rerum Capiti; fraudesque latentes
Efferet ante oculos. Præsertim fræna Regenti
Sarmata Germanæ contagia proxima gentis
Ingeret incumbens, mersuraque fata propinquum.
Neve sibi exemptos, & crudâ pace redemptos
Teutoniæ populos, fuerat quos passa Trionum
Auferri titulis, certisque deesse triumphis,
Bistonio obverti quò possent justiùs hosti,
Ipsa olim Victrix; lenti paterentur eosdem
Decidere in casses, Thracumque accedere lucro.
Ante tamen cunctos incesset sæpius aures
Pontificis precibus, currentique addere calcar
Suppliciter sataget Terris partita, Poloque.
Illius ergo animis fidi ter Maximus Orbis
Urgebit Rector socias conjungere dextras
Cæsaris auxilio, diroque occurrere monstro
Sarmaticum, Venetumque Duces: Properantior Ille:
Noxior Hic aderit; nam formidatus in oris
Æquoreis, trepidique ruens in viscera Thracis
Ancipitem coget partiri Signa, minùsque
Tendere se terris, Istrique insistere ripis.
Inde minor Biston, majorque Augustus, & inde
Liberior cursus Mysj trans ultima Regni
Austriaco, atque arces non unà in parte receptæ.
Nec mora: Parrhasiâ digna Hortatrice sequetur
Laurea. Bistonidùm pars campo strata jacebit,
Pars in vincla ruet, pars fluctibus hausta peribit;
Certabitque uni Germania grata referre
Certius effugium, primosque ex Thrace triumphos.
Hæc tamen admonitu, crebrisque hortatibus urgens
Evincet gelidi Moderatrix fervida mundi.
Ipsius Effigies hìc nuda, atque oris Imago,
Inspice, quid poterit supremo in cardine Regi

Latura

Latura auxilium, dextramque datura Britanno.
Atque equidem populis prolata ad Texta coactis
Fusiùs hîc hærens Reginæ Præscia tantæ
Monstrabat, quàm multa foret super Astra futura
Gratia, quàm grandi meritum mercede rependet
Numen, cùm tantum cogi volet instar in Unam.
Orbe alio Thamesis celebratus classibus urnam
Egerit ingentem, populosaque mœnia findit
Londini, tumidis quæ trux everberat undis
Oceanus; sed major hyems, pejorque Colonos
Insilit assiduis tempestas fœta procellis.
Hìc gemini infidæ tractant moderamina molis
Nuper ab exilio Germani ad sceptra vocati
Imperii ancipitis, fœdoque cruore Parentis
Assistunt clavo. Regni tenet Alter habenas,
Alter agit curas bellorum, & temperat arma.
Plebis at experti vertenda in jura furores
Præcipitis, Superosque etiam, Cælumque perosæ
Fræna tenent trepidante manu; nec vincula solùm
Libera non audent moliri, & stringere morsum,
Sed neque Cælicolis operari more parentum
Dant sibi. Clam tacitis venerantur Numina votis
Semoti, & nullo suffundunt thure sacellum.
Ecce jacet vitæ supremo in margine Rector
Crudus adhuc fato, nec dum vergente senectâ.
Deficit ille quidem morbo carpente; sed ægrum
Altiùs exagitat non justis cultibus Æther
Pensatus cohibente metu, confessaque parcè
Mens Superos, dubioque latens in fœdere Cælum.
Nam, si culta sibi sincero Numina ritu
Proferat, & nullâ vulgi temerata profani
Labe: timet rursus, ne plebs sublata rebelles
Proruat in furias; concussaque fulcra laborent.

Usque

Uſque adeò extremis etiam ſub lapſibus horæ
Occiduæ Reges retinendi Muricis altus
Urget amor; major quamvis jactura perurat
Sollicitos animos, & Tellus pugnet Olympo.
Hæret in hoc bivio, miſeroque reciprocus æſtu
Nutat; & exhauſti ſupereſt pars ultima penſi.
At, propè ſupremo dum verſat lumina motu,
Ecce triumphali redimitam tempora lauru
Reginam, ſceptrumque manu Regale tenentem,
Quale nec Aſſyriâ, Crœſi nec finxit in aulâ
Priſca dies, adſtare videt, pallâque coruſcam
Gemmiferâ; ſed maior honos de fronte ſerenâ
Irrigat attonitum, tenebriſque effulget abactis.
Illicet agnoſcit mediâ in caligine mortis
Auxiliare jubar; nam quis ſit notior Illâ,
Quę patriâ expulſo reliquis ceſſantibus Una
Approperavit opem, turmiſque inſtruxit, & auro?
Illa laboranti tam diro in turbine vultum
Advertens tali defectum voce videtur
Erigere in vires, vegetemque repoſcere mentem.

Ex Chriſtinæ Simulacro, quod Rex in cubiculo habebat paria audendi animos hauſit.

Rumpe moras: Quid ſegnis adhuc non arripis anſam
Ancipitem, & lapſi reparas diſpendia curſus?
Relliquias? ne times, momentaque ſera caduci
Turbari Imperii, ſi te reſciſcat iniqua
Seditio in ritus non conſentire profanos?
Quantum noctis habet, quiſquis terrena veretur
Perdere, Cœlicolis ſi fœdera ſervet amicis!
Scandimus hâc Cælum. Pulchro cùm fine redemptus
Aſtra petes, tunc plena dies has auferet umbras:
Tunc tibi nil æquè magnum potuiſſe videbis,
Lætandumque dari, quàm, ſi flagrante tumultu,
Murice direpto, fuſoque cruore fuiſſet
Conſtatura Fides, ſanuſque receptus emendus.

Certè ego tunc pleno Regni me jure potitam
Persensi, cùm sceptra Polo, prolataque vovi
Imperia, & medio converti in tramite cursum.
Cerne manum, percurre comas, & Syrma tuere;
An tibi nos viles, quod Cœlo impendimus Ostrum?
Quin mage durat honos, & largo fœnore crescit;
Nec tamen hoc tantùm precio discessimus aulâ.
Altera debetur merces obnoxia nullis
Casibus. In patriis dominari poscimus Astris.
Talia Parrhasiam, vel non diversa daturam
Monstrabat Vates, atque hac in parte morari
Plurima gaudebat, memori quæ mente recondo
Mox transmissa mihi. Rex hinc virtute refectus
Ecce novâ erigitur, Romanaque jura professo
Exequitur ritu, lætusque humana relinquit
Imperia, & sceptrum sceptro meliore rependit.
Ausonis hìc Virgo visa est nutare, nec illa
Signa sequi, junctim quæ proximus ordo ferebat
Ulteriùs tendens; Species nam mæsta tenebat
Cunctantem. Advertit dubiam Regina, simulque
Admonita objectu plangentis Funera Textus,
Hærentem prendit, tantoque impensiùs urget
Ire per incæptus, causamque evolvere luctus.
Tunc Virgo haud constans, nec læto hæc addidit ore:
Hìc verò, immenso quò confluit agmine turba
Gentibus è cunctis, juxtàque est crine soluto
Cernere Virtutum cœtus multùmque, diuque
Irasci ingratis, visusque avertere terris:
Quod Tellus habuit tam magnæ Præsidis unum,
Clauditur hìc Spolium. Saxo hoc heu! conditur arcto
Ingentis Cortex animi, minor Arcticus axis
Quo fuit, & gemini quem non cæpere Triones,
Theutoniæque Orbis domitæ: vix nomine nudo

Inscri-

Inscriptus, Titulis non consignatus, & Actis:
Nulla tamen Regum cultu celebrabitur Urna
Tam pleno: non subjecti quæ Tibridis undis
Ælia se profert, & transit nubila Moles.
Fama sed æternùm Tumulo reticente loquetur
Hæc, quæ supremo tendunt se carmina limbo:
,, *Illius Exuvium latet hìc, quæ Fœmina vicit*
,, *Una Mares, Regesque simul Regina superstans*
,, *Pura etiam justi fugit contagia Lecti,*
,, *Cocytique dolos, & Terræ contudit arma*
,, *Perpetuò victrix, positoque augustior Ostro.*
,, *Ipsa autem excusso, quicquid Telluris habebat,*
,, *Astra tenet, regnatque Thoro desponsa Tonantis.*
Carminibus quàm certa fides! En lumine vero
Plena, caput trino diademate cincta coruscum
Ingreditur Cælum magno subvecta triumpho.
Regina intuitu postquam sat novit in illo
Se sibi monstrari (tantus consensus utrìnque
Convenit, & nullum gemino discrimen in ore)
Leniter arrisit non aspernata referri
Artis ope; atque actu quamvis laudavit in omni
Effigies: patrium quæ jam scandebat Olympum,
Illa magis placuit, penitusque allexit Imago.
Noverat hæc Manto de Regnatrice Trionum
Præscia, & intexto radiis solertibus auro
Licia perpetuo direxerat argumento.
Sed quàm penè fides, succiso stamine vitæ,
Destituit Vatem, properataque Parca futuros
Prævertit cursus, segetemque extinxit in berba!
Nam, quod transmissæ curis vigilantibus umbræ
Nocturnæ, & longi moles operosa Gradivi
Non poterant: diris tantum fraus abdita succis
Est aggressa nefas (Sed & hoc conatibus Hostis Regina veneno tentata.

 Impu-

Imputet Inferni Pietas ; nam Criminis Author
Perpetuò latuit :) Sensim vigor inde remitti
Vividus incœpit, fibræque salire tumultu
Insolito, atque acres dominari in viscera flammæ.
Principiò durata malis Regina latenti
Luctata est noxæ : defectaque membra refecit
Temperies animi ; mox desertore coacta
Corpore succubuit, molemque invita labantem
Permisit stratis, pugnæque pepercit inani.
Non secus irriguo dominantia lilia campo
Sole sub immodico sociûm post funera florum
Perdurant, nimioque negant Hyperione solvi.
Postmodò deciduæ sed non immunia sortis
Demittunt calices, tandemque exhausta fatiscunt.
Stant circùm famuli ; properèque Machaonas omnes
Ingens intendit studium . Jacet Illa timore
Intacta, & nimios cohibet pacata tumultus,
Incertosque regit, trepidantemque instruit Artem.
Sed vis dira mali medias invecta medullas
Crescit, & eludit, quicquid Podaliria tentant
Agmina : deficiunt vires, nec lumina somnus
Intrat, & ancipiti discordat vena tenore,
Caligantque oculi, voxque interclusa moratur.
Tunc verò attoniti supremo in cardine largos
Rupere in gemitus ; unoque Exercitus omnis
Personuit planctu . Non, si jam castra teneret
Hostis, & immissus tentoria carperet ignis,
Par timor, & clades . Hoc ultra funera Funus
Lymphati lugent : ululataque Praga resultat.
Hos properata dies, immaturusque juventæ
Exitus : hos primis non impar forma Deabus
Hausta citò : hos operum messis corrupta nocenti
Afflatu : hos generis radix excisa superbi ;

Hos

Hos vigor, atque alacris solertia vivida mentis:
Hos animi ingentes, & prodiga dextra vicissim
Sanguinis, atque auri; cùm Mars, meritumque vocarent:
Imperium hos anceps, nutaturique Triones
Præside sublatâ: nullum causa una, dolorque
Abripit in gemitus simplex, & provocat ora
Irata in Superos, pejùsque ignara timere.
Præcipuè offensi genio Telluris iniquo
Germanas odêre plagas, navataque damnant
Prælia supplicibus, questusque, & jurgia miscent.
Heu! non sat pelago, stagnorumque objce largo
Dissecta, & nostris Germania dissita metis!
Quid tua per sanos spargens contagia tractus
Gotica in externos traxisti Regna furores;
Nec rejecta semel cessasti exuta pudorem
Urgere incæptum, gentesque agitare quietas?
Siccine tam pulchrâ geminum mercede reponis
Auxilium, & partam pensas hac lance salutem
Sanguine Vandalico? Nos colla exesa catenis
Solvimus Austriacis, teque in tua jura reversam
Fulsimus heu! nimium faciles. Tu præcoce letho
Gustaidas funesta rapis, Natamque, Patremque
Carpis, & alternas jactatos mergis in undas.
Sic furit impatiens miles, populosque, solumque
Increpat immeritum Terris iratus, & Astris.
Hæc erat illa dies, quam non Germania solùm
Eluctata jugum, sed, quæ stetit obvia Cimbris,
(Usque adeò Virtus ipsi est venerabilis Hosti)
Horruit, Arctois nedum Gens dedita sceptris,
Et propiùs passura malum, sensuraque Divos
Altiùs infensos. Immunis nemo doloris,
Nemo metus egit. Quin longo dissita tractu
Undique tristatur, gemituque Europa latenti

Carpi-

Carpitur, & sentit, sed non intelligit Ægræ
Discrimen, pariterque suum, templisque reclusis
Sternitur; & (quando primùm graviora timentur)
Christinæ metuit, votisque occurrit anhelis.
Illâ laborantis cùm non evaderet æstus
Naturæ, & luctâ conflictaretur opertâ:
Dissidii impatiens pugnatos solvere nexus
Instituit, atque ultrò dubias arcessere Parcas.
Cortice degeneri sive indignata teneri
Quolibet optarit dirimi commercia fato:
Numina seù nimiùm dilato læsa receptu
Addiderint stimulos: non sano instincta dolore
Conatur questus, rumpitque bis vota querelis:
O', ubi collatis concurrunt agmina signis,
Sive Scythas Mavors, seu nudos asperat Afros,
O' Mors inde veni; de tot mihi millibus unam
Furare, atque altè lateri confige sagittam.
Cui, Dea, lethiferæ contingent vulnera dextræ
Grata magis? nudabo sinus, calamoque volanti
Obvertar, fidasque animæ monstrabo latebras,
Nec tua degeneri corrumpam munera questu.
Heu! quantum distas! quantum, Mors, aure superbâ
Negligis orantes, ultrò cùm busta precantur!
Me miseram, lucis cui nec rediviva voluptas,
Nec requies concessa rogi! sed limite nullo
In dubias distracta vias, neutroque recepta
Littore, & alterno fluitare coacta periclo!
Talia jactantis supero demissus ab Axe
Insedit mentem Radius, noctemque removit
Lumine non læto, tenebrasque optare coegit.
Nam nec inexhausto surgentia flumina lacte,
Lenta nec è duro manantia cortice mella
Obtulit, & pictis vernantes floribus hortos;

Sed Styga, sed denso crinitas angue Sorores,
Monstraque, lustrato quot non confecit in Orbe
Alcides, Urbemque minis, planctuque sonantem,
Atque intercisas flammis undantibus umbras.
Pallentem visu, vicinorumque trementem
Spectrorum cuneos peiùs vox perculit ægram
Desuper insultans, animamque aggressa per aures:
O', cui tentatæ fecerunt tædia vitæ
Penè levis morbus, discessurique dolores:
Quid cessas? votisque diu Terramque, Polumque
Sollicitas? Data porta patet, nullique tuentur
Limina custodes, sed aperto cardine perstant.
At priùs, oblatos quàm mens ignara pericli
Occupet ingressus, animoso interrita visu
Perlege, ferrato prostat quod fornice, Carmen:
„ *Hìc aditus Ditis. Nigrâ semel Urbe receptos*
„ *Destituunt reditus; nec spes est ulla recursus.*
Qualia proscripti celebrent convivia manes,
Quantus Avernales: (quò flecteris?) explicet Umbras
Ludus, ab excussis metire, & disce, catenis.
Hìc luitur, graviùs quicquid mens noxia peccat:
Hìc perit æternùm, quisquis dissentit Olympo.
Euge: linunt puram si nulla piacula mentem:
Si potes erectâ districti Judicis ora
Fronte pati, fidens animi pete fila recidi:
Posce mori, niveamque Polo dimitte columbam.
Sustulit hìc Radius se se, Cœloque recepit;
Nec vox ulla super. Tamen Ipsa auditque, videtque
Icta minas, diræque simul spectacula pompæ
Ampliùs haud sano non ausa insistere voto.
Sed jam correptæ monitis, & visibus Æther
Non ultra suspendit opem. Vis ergo veneni
Letbifero carpsit postquam vitalia morsu,

Inten-

Intenditque tumor possessos luridus artus
Pharmaca contemnens, penitusque Ars hæsit inanis
Attonita insidiis, & imagine criminis hausta:
Nullius auxilio pleno redit ecce vigore
Conclamata salus non intervalla, gradusque
Passa; sed extemplò livor correctus, & omnis
Expugnata lues, atque impete virus abactum.
Segniùs objectas æstivus dissipat umbras
Phœbus, & adversi nebulas minùs impiger Austri
Dispellit, Scythico Boreas cùm perflat ab antro.
Hinc alii fletus, aliæque in sidera voces,
Atque alio penitus clamantia castra tumultu,
Nullaque non lætâ frons non umbrata coronâ.
Nec se purpureo spectandam distulit ore
Præstare, atque avidas Regina implere catervas
Pulchrior. Usque adeò celeri rediere recursu
Corporis asserti vires. Sed prima reversa est
Virtutum gavisa cohors: quæque obruta morbi
Pondere nutarat, Mens integrata refulsit.




LIBRI

LIBRI UNDECIMI
ARGUMENTUM.

CÆſaris res creperæ, & anxietas. Venetæ Reipublicæ duplex ſollicitudo &, quòd diutino Turcarum bello quà mari, quà terrâ iniquiſſimè premeretur: &, quòd Germaniam, ubi militaribus copiis ſe inſtruere conſueverat, Guſtavus primò, mox Chriſtina ita deterſerant, & vaſtaverant, ut ægrè ipſa ſibi ſufficeret. Pacem ergo inter Reginam, & Cæſarem in rem ſuam ſummà ope promotura jubet Petrum Baſadonna ingenio, & rerum uſu præſtantiſſimum, qui universâ penè Europâ pervagatâ Germaniæ Urbes tunc temporis opportunè perluſtrabat, Reginam adire, & proſperos bellorum ſucceſſus Publico nomine gratulari: ante tamen Viennæ, (velut ita viarum ratio exigeret) Cæſarem convenire, atque ad pacem unicum à malis levamen adhortari, eidem ſuam operam, & ſtudium apud Reginam in hoc pollicitum. Ille Patribus obſecutus, & Cæſarem nactus, qualem Viri prudentia, & ſors improſpera poſcebant, iter urget ad Reginam, eidem olim Olmiæ cognitus, & virtutis ergò in precio; ſed tunc acceptior

futurus, quòd ipſi intima animi ſenſa aperire, & ſummis ſecum de rebus conſilium habere, peroptabat. Reginæ ſiſtitur, ſenſimque Paci proclivem habet; nam ſuſcepti belli voto potita Superis conciliari properabat. Proſperè ergo inchoati negotii certior factus Cæſar Oratorem ad pacem petendam impigrè legat, quæ ipſi opportunior contingere non poterat, Turcâ tunc per Daciam in ſuæ ditionis Hungariam movente. Induciis factis commercia reſtituuntur, & ad univerſas difficultatum ſalebras detergendas, ſupremumque Pacis actum tranſigendum, pleno jure Legati, Tempus, & Locus deſtinantur. Poſt epulas, ad quas utrumque Oratorem invitaverat, Regina à Veneto rei Turcicæ intimè gnaro, utpote qui Conſtantinopoli diutiùs hæſerat, Othomannæ Domus originem, potentiam, geſtorumque, & ſucceſſuum ſeriem Pannonici Martis ſtrepitu excitata doceri contendit; Cui ille ita paret, ut Cæſaris ſe memorem, Patriæque, & Religioni addictum præſtaret. Regina reditum inſtruit. Germaniæ in illius diſceſſu, & Sveciæ in acceſſu motus, & habitus. Olmiam ingreditur, morarumque impatiens Abdicationis propoſitum urget; & ſub quà Dominatûs temperie Regimen relinqueret, Quemque ſibi in imperio ſufficeret, ſecum exigit, & deliberat.

LIBER UNDECIMUS.



ANxius hæc inter rebus quærebat in arctis
Ferdinandus opem castris exutus, & arce
Non unâ, semperque timens pejora peractis:
Præcipuè infestis contempto fœdere signis
Pannonas aggresso jam Turcâ, & cominùs acto.
Plurima versanti visum nil sanius ægræ
Jam dudum Imperii summæ, quàm, si qua daretur
Pax fesso, tantis Victrix nec plena triumphis
Clauderet elatas justis oratibus aures.
Nam, quamvis precibus sciret superabile pectus
Christinæ Marte indomitum: diversa vicissim
Corda Ducum norat, momentaque prospera Gallis
Armorum sociis, & victo tempus iniquum.
Sed neque Cæsareo sat respondebat honori
Inferiùs positum se ferre, & tendere vittas.
Cesaris hic æstus: Venetos nec cura Dynastas
Angebat levior; clades nam longa propinquæ
Teutoniæ, Cretæ non opportuna subibat
Vergenti in præceps, olimque extrema timenti.
Scilicet, Austriacas ex quò vastaverat oras
Arctica tempestas, domitasque exhauserat Urbes
Parciùs auxilium, conductasque ære catervas
Colligere, & vacuas poterat supplere phalanges.
Ergo aptum Patribus tam duro in tempore visum
Christinæ legare Virum, qui prospera Martis
Prælia gratetur Cimbri, tantisque trophęis
Plaudat, & Adriaci testetur gaudia Sceptri.
Illa sed urgebat presertim cura Senatum

Sollicitum longos Cretæ fulcire labores
Viribus externis: nec solùm Cęsaris arma
Jungere; sed longè positas, ipsâque sub Arcto
Sollicitare plagas, gentesque movere repostas.

Ex Legato ad P.M. D. Marci Proc. & ex Proc. S.R.E.Cardinalis.

Florebat Venetos inter Basadonna Dynastas
Petrus, & ingenio jam tunc, atque ore diserto
Præstabat; nomenque Viri jam Fama ferebat
Didita per populos, plausuque implebat bonoro.
Hic modò Germani peragratis tractibus orbis
(Hellespontiacas olim penetraverat arces,
Lunigeramque diù solers excusserat Aulam)
Jam satur, & constans patrias remeabat ad oras.
Ergo Togatorum numero secernitur alto
Jussus ad Arctoi Rectricem cardinis ire;
Ante sed Augustum non æquo Martis in æstu
Hortari ad pacem, studiisque avertere belli
Opportuna monens, duræque accomoda sorti.
Paruit extemplò Patrum mandata sequutus;
Pulchra nec eventu caruerunt vota secundo.
Namque iter obliquans, velut hoc via posceret anceps,
Mœnia sollicitæ penetravit clausa Viennæ,
Pronaque suscepti sensit primordia cursus.
Scilicet Augustum diducto in pectore motus
Versantem varios (namque hinc mens fervida pugnas
Ardebat, sortisque vices sperabat: at inde
Cladibus admonitus, Martemque expertus iniquum
Oderat armorum casus, & fœdus amabat)
Impulit ad pacem, cautumque ad tuta redegit.
Nec mora, digreditur, triplicisque ad mœnia Pragæ
Tendit, & optatus Christinæ ad castra propinquat.
Namque illum terras olim, populosque remotos
Lustrantem, quò certa magis prudentia menti
Cresceret, ad patrios exceperat ante Triones.

Et va-

Et varium Regina decus, lætumque, ſagaxque
Mirata ingenium largo eſt complexa favore;
Mutuaque amborum commiſit teſſera pectus.
Inde adventantem miro properabat amore
Amplecti, atque iterum commercia jungere mentis,
Affatuſque alacres, & pignora prima novare.
Impiger ille aderat: vultuque receptus amico
Acceſſit propiùs ſolio, mandataque Patrum
Cernuus exequitur, meditataque verba reſolvit:
Si quid opis Patriis ullo unquam tempore fatis
Contulimus, dabimuſve iterum, dum vita ſuperſtes
Conſtabit: largâ jam nunc mercede redemptum,
Et nimiùm plenâ penſatum lance fatemur.
Tanti eſt è cunctis legari è Civibus altæ
Chriſtinæ ad ſolium, divæque Heroidis ore
Cominus afflari, victriciaque arma Trionum
Gratari, & Venetæ teſtari gaudia Gentis.
Scilicet Hæc Illa eſt, quæ Sexu, Aulâque relictâ
Plurima conſtituit non unâ in parte trophæa
Unius haud hoſtis victrix terrâque, marique.
Nam poſt diſjectos tellure, atque æquore Danos
Germana arripuit revoluto tramite Regna,
Obtrivitque acies, & captas poſſidet arces.
Tot tamen inter opes animi jam ſumma tenentis
Reſtat adhuc aliquid, ſtudiis ardentibus inſons
Quod rogat, & votis ſupplex Europa precatur.
Nempe, quod evexit ſolos hucuſque Triones,
Erigat ut cunctos pariter, quos una redemit,
Diſtinxitque Fides, terriſque probetur, & Aſtris:
Pulchrior & Virtus, & major adorea ſurgat
Victrici, & parti victricia ſigna ſecutæ.
Nam de Chriſtinâ crimen gaudere putamus,
Una ſalutaris toti ni fulgeat Orbi.

Dixit

Dixit, & exhibuit regalia munera Patrum
Trojugenûm sceptrum, vittas, sellamque curulem,
Syrmaque Sidonium monumentum, & pignus amoris.
Tunc blanda inclini rursum porrexit ab alto
Exermem Regina manum, Patriæque rependens
Adriacæ laudes, donisque affecta benignè
Ad sibi privatum descendit pignus amici
Juris, & in doctę properat commercia mentis
Reclusura sinus, animisque arcana reposti.
Nam, propiùs majora movens, confisaque nulli
Indigenûm (sacri quando mens nullius expers
Contagi; minor unde fides) atque indiga certi
Consilii, & rerum, momentorumque periti,
Hunc sibi legari votis optarat anhelis
Jam pridem sat gnara Viri, mentisque capacis,
Solertisque animi, multorumque instar habentis.
Ex illò tractim Legato arcana reclusit
Vertendę in melius Fidei, patrioque recessus
A Solio, & Superis animi, dextręque dicandę.
Ille, ubi strata videt cœpti primordia cursus,
Admonet Augustum, qui, ne momenta perirent
Prospera, ad optatos Legatum protinus urget
Congressus; pronosque habuit mens anxia Divos.
Jamque opus in tuto; sed, quòd non unus utrinque
Diffidii restabat obex, salebręque vicissim
Æquandę suberant, atque indiga pacta morarum:
Interea ex ęquò Mars interdictus, & ensis
Conditus, atque iterum commercia pace sequestrâ
Reddita, & implacidis turbę spes omnis abacta.
Sępiùs hęc inter Regina excepit honore
Legatos Mensę non tantum vasa, dapesque
Mirantes, quantum alloquiis, & divite mentis
Allectos cultu, & pastos melioribus escis.

Postre-

Postremò, instaret cùm jam discessus utrique,
Conversa ad Venetum vultus porrecta benignos,
Altera quem tenuit quinos spectata per annos
Roma: refer, subicit (locus hęc, tempusque remissis
Ocia nam pręstant, nuperque est aucta cupido,
Ex quò Pannonici crebrescit fama tumultus)
Gentis Othomannæ quæcunque ab origine primâ
Sedula mens novit. Seriem juvat ire per omnem
Fusiùs, & tantę speciem perdiscere molis.
Parvit ille libens; namque hęc data commoda pridem
Optarat; stimuli quò plus Regina profanas
Sumeret in gentes, atque hùc converteret arma.
Sed jusso propior, meriti quò gratia major,
Cunctatusque parùm, non læto hæc reddidit ore:
Dura quidem poscor, Moderatrix magna Trionum,
Inque diem major; nam retractare meorum
Vulnera compellor, quando hoc decrescimus olim
Impare collisu; quamvis nec laudis egentes,
Nec soli atterimur. Lybiæ jam plurima fumat
Portio, & Europam, atque Asiam par corripit ignis
Ulteriora petens: ni se crescentibus Una
Plenior objiciat Virtus, flammasque moretur.
Caucasus, Hircanum quà se demittit in æquor,
Turcarum natale solum; traxitque nefandus
Incola ab immani genium regione cruentum.
Hinc amor ingenitus ferri, studiumque perenne
Obvia perdendi. Nusquam pietasque, fidesque,
Et consanguineâ nullum sine tigride pectus.
Non tamen hæc Scythicis rabies discessit ab antris;
Donec Agarenis impar jam Persa propinquis
Excivit cupidos, ipsoque nocentius hoste
Auxilium, demens, nocituraque bella poposcit.
Postmodò nam terræ captus melioris amore

Turca

Turca gradum renuit revocare, & fraude rebelli
Oppressit socios, rerumque invasit habenas.
Mox Arabas domuit, geminæque in sanguine gentis
Auctus servitio partem mulctavit utramque.
Certiùs utque ageret radices advena proles:
Fœda Mahomettis sponte est in dogmata versus,
Gentilesque Deos, proavitaque sacra reliquit.
Romani siquidem tunc rupta repagula Juris,
Et concussa Fides, Syriasque invectus in oras
Arrius. Hinc latè rudibus placitura colonis
Blanda Superstitio, atque Arabo opportuna rapaci
Creverat, & nimios in crimina solverat ausus.
Transitus in pejus facilis, pronusque furori
Successus; justi cùm fræna excussa timoris,
Et vitio Virtus non obluctata senescit.
Impulit hinc ultra se vis peregrina, minasque
Longiùs intendit; nam se mox fudit in Urbes
Jonias, Cilicumque plagas, & Pontica regna
Corripuit, primisque Hermum de fontibus hausit.
Sed patrii retinens moris non mœnibus ullis
Includi passa est, urbesque habitare subactas;
Nam per aperta furens, latosque vagata per agros
Instituit hàc, illàc prædas agitare, domosque
Prætulit errantes, & lustra accommoda fraudi.
Nunc quoque pars vulgi nunquam dedocta parentes
Palantesque lares, & plaustra incerta frequentat.
Sic altæ vires, gliscentique addita latè
Incrementa malo, semperque accessus, & ausus
Maior, & uberior; donec concita pudore
Pars fida Europæ, magnique ultura Sepulchri
Servitium subiit classes, atque Asidis oræ
Ingressa est portus. Trepidus tunc Barbarus omne
Collegit robur, raptisque occurrit in armis

Obvia

Obvia signa ferens; Sacros non distulit enses
Vota manus Cœlo, Superisque instincta secundis
Fudit Hyperboreas tam prono Marte catervas,
Ut longum Nicæa palus tumefacta cruore
Spumaret Scythico, Syriosque undaret in agros.
Sed mox, cùm Solymæ Victor conversus ad arces
Jurato impensus bello procul arma tulisset;
Congeries iterum cœpit dispersa coire;
Inque diem nimiùm nobis neglecta priores
Instauravit opes, labefactaque membra refecit.
Attamen imperium nullius libera Regis
Induit, in plures sed se partita catervas
Sub Ducibus tenuit, sectoque in jure morata est.
Primus Othomannus (genus hinc, & origo potentis
Gentis Othomannæ, quæ nunc dominatur in Aulâ
Turgida Byzanti, totique inde imminet Orbi)
Discretos artus corpus digessit in unum,
Subjecitque sibi nunc vi, nunc fraude minores
Aggressus. Traxit Moles compacta colorem
Inde; nec ulteriùs Regum pugnavit habenis
Nescia gens fræni, viresque, & viribus auxit
Imperium, & nomen, semper depasta propinquos.
At, licèt in mores hominum sit visa referri
Effera progenies: pejora in monstra relabens
Mens furit; & fibris increvit Caucasus altis.
Qualia luxuriant cultu nutrita benigno
Sæviùs, & succos augent Aconita nocentes.
Conflatum Imperium gestis jam plenus, & annis
Liquit Othomannus ramosâ in stirpe superstes
Heu nimis! Orcanus Patri suffectus apertum
Ursit iter, turmasque rudes, atque impete cæco
Erudiit fisas, & viribus addidit artem
Instrumenta novis augens antiqua repertis

Bellica prosternens Urbes, sceptroque potitus
Prussiadùm versâ Bithynâ funditùs arce.
Postmodò neglecto sed vulnere raptus ad Umbras
Cessit Amurathi pensatæ præmia cladis,
Successusque suos Nato legavit, & iras.
Fraudibus Hic potior, longèque nocentior astu
Addidit insidias animis, & vulpe Leonem
Induit ingenio, quàm bello, maior aperto.
Pectoris infidi cupido nec distulit usum
Fortuna in peius versis irata Pelasgis.
Nam, Bizantinæ quò Cives Arbiter Urbis
Jactantes cervice jugum compesceret, arcus
Excivit Scythicos, clademque in regna recepit.
Quippe operâ miles navatâ divitis oræ
Vulgavit famam, sociosque erexit hiantes,
Rectorisque animum flammis incendit avaris.
Obstabat prætenta Thetys, pontusque ruentì
Objectus, Turcæque rudes hucusque remoti
Littoribus, nullis celebrabant classibus æquor.
Pervia pestifero sed quæ non pectora lucro?
Degener, & Ligurum quem vindex abnuat Ora
Indigenam, Quicunque lucro corruptus iniquo
Traduxit Scythicas ad Thracia littora pestes!
Nec minùs angusti transmissâ Bosphoros undâ
Expungi meritus, quàm cognoscendus aperti
Oceani immensum primus Qui subdidit Æquor!
Ipsi aditus nostris, ipsi patefecimus auro
Hostibus, & turpi mercede locavimus alnos.
Illa dies Scythicis Europæ in viscera monstris
Fecit iter: frustraque viam tentavimus inde
Obstruere inductis, & apertum claudere limen.
Quippe invecta lues latè populata Pelasgas,
Threiciasque plagas, radices egit in oris

Insessis;

Insessis ; ipsique sibi (quò cuncta paterent
Littora, & extrenæ non ultra classis egerent)
Struxere Hircani navalia culta lacerti.
Æquora transmissis de nomine dicta Philippi
Urbs patuit ; majusque lucrum reserata subivit
Ælia servitium, sedes ubi lecta Tyrannis
Lunigeris, fixique lares, & ditior Aula.
Inde gradum flexit, pingues quà Mysia campos
Explicat, & terras à læva amplectitur uno
Nomine non unas. Sed, quem non ulla morari
Obvia vis potuit densis instructa catervis,
Una manus tenuit dudum perpessa catenas
Serviles, dirumque caput sub tartara misit
Mactato inferias Domino, famamque perennem Croata Domini vindex.
Promeruit nullis ausu non libera sæclis.
Noxior extincti auspicium, pugnataque Patris
Sceptra Baizettes infectus sanguine fratris,
Arripuit ; victisque trucem cecidisse parentem
Cessit in accessum cladis ; nam fœta furore
Immenso, nulloque unquam saturanda cruore
Sæviùs incubuit, nomenque adstruxit ab igne
Fulminis, & titulos Rabies vix repperit æquos.
Ille moras primas, intercissosque parumper,
Pensavit præceps cursus, impulsaque regna
Traxit in excidium, propiùsque accessit ad oras
Ausoniæ, & Venetas afflavit proximus undas.
Sed caput Imperii, tralataque sceptra Quirini
Affectans convertit iter tibi, Roma, tuisque
Alterius Romæ præludens clade Latinis.
Compulit obsidio, ductis jam rebus in arctum,
Ipsum Apicem rerum terras penetrare remotas
Cominus, & Fidei sociatas fœdere Gentes
Poscere opem, ritusque pares, concussaque jura

Ingerere Imperii, paſſaſque intendere palmas.
Nec labor infelix; pollens nam Gallia tantas
Suffecit vires totos exerta lacertos,
Nicopolis gelidi ripas ubi ſurgit ad Iſtri,
Ut ſatis Hircanas poſſet compeſcere turmas;
Ni malè digeſtas properans miſcere phalanges
Turbida præcipites ſe conjeciſſet in auſus.
Inde aderat ſuprema dies, trepidique lababant
Mœnia Byzanti: fatis verſantibus Orbem
Cùm Scytha de Scythicis alter ſe protulit antris
Plenior, & gentes vaſto populatus Eoas
Diluvio, inſeſſas Turcis ſe fudit in oras.
Ergo Baizettes nutanti avulſus ab Arce,
Mole Tamerlano totâ ſe objecit: & ambos
Præcipites ageret rabies cùm Martis in iras:
Utraque Barbaries campis ſe tendit in illis,
Magnus ubi quondam Mithridatis contudit arma,
Nec tulit ulteriùs recidiva in bella reverti.
Fregit ad hunc ſcopulum Turci fortuna Tyranni
Inferior; nam disjectis toto æquore Lunis
Ipſe Baizettes, fuerat quas ante minatus
Byzanto domitâ ſubiit cervice catenas;
Et, cùm Victor equum, currus vel ſcanderet altos,
Terga dabat pronus clivi converſus in uſum,
Ludibriumque thori juſſus ſpectare mariti
Proſtratum luxit poſt regna everſa pudorem.
Cavit Othomannæ ſeries hinc poſtera gentis
Suffecta imperio jurati in fœdera lecti
Legibus addici, thalamis contenta ſolutis
Quærere progeniem, functoſque reponere Reges.
Sic nos Externi, Privati aut dextra redemit
Proh pudor! & noſtris interceſſere periclis
Servilis nunc Sica manus, nunc Barbarus Arcus.
Quis

Quis non tam vaſtâ penitus periiſſe procellâ
Arboris inviſæ ramos, ipſamque putaſſet
Radicem exciſam non ultra in germen ituram?
Juvit Othomannos clades, ſpeſque irrita ceſſit
Europæ; & ſegetem primis extinxit in herbis
Conſilium infelix, ſegneſque ad proſpera dextræ.
Nec ſupereſt de Sorte queri, nimiùmque ſiniſtros
Incuſare Deos; nam quid plus poſcere Divos
Prodiga mens voti poterat, diſcrimine nullo
Quàm ſpectare procul pereuntia Barbara turmis
Agmina Barbaricis, ulciſcique hoſtibus hoſtes?
Uſque adeò indulſit Fatum: ſed fregimus ipſi
Fortunam, noſtræque moræ tenuere ſecundos
Cœlicolas, dedimuſque manum, quò ſurgere poſſent
Disjectæ peſtes, redivivaque colla levare
Altiùs, atque aucto pejùs ſpumare veneno.
Naufragio ex illo captivi bina Tyranni
Elapſa eſt Soboles, patrique ſuperfuit acto
In præceps. Sed nulla priùs regnata receptum
Præſtitit Arx trepidis, nullæ patuere latebræ
Aſidis in terræ tractu. Fuga vertitur ergo
In loca Grajugenùm: qui, ceu cognata redirent
Pignora, non patriæ caſum molita ſupremum,
Permiſere aditus, & ſuſcepere reverſos:
Immemores habuit dementia tanta Colonos.
Immo rati minimùm non rejeciſſe nocentes,
Recluſere ſinus, & ſuffecere lacertos.
Utque iterum poſſent furias reparare peractas;
Indigenâ vacuas implerunt pube catervas.
Inde mali labes in cœcos verſa Pelaſgos
Serpere, & inſanæ graſſari in viſcera gentis;
Tempore namque uno Grajum contraxit, & auxit
Diſpar cauſa Scytham: nempe hoc urgente favorem

Mar-

Martis, & ulterius cursu tendente volucri:
Deside Grajugenâ, sensimque in pigra soluto
Ocia, vel tantùm bella intestina serente.
Ergo huic incubuit majori mole ruina:
Postque tot annorum lapsus, momentaque rerum
Durat adhuc, perstatque malum, quo Graecia discors
Procubuit; tristique situ deformis, & expes
Imperii, morumque decus dedocta, pudendas
Luget, & incassum jactat captiva, catenas.
Non tamen haec properè clades oppressit Achivos,
Sed certo provecta gradu per viscera lentum
Induxit virus, totasque est pasta medullas.
Interea magni tandem cùm vulnera dextrâ
Facta Tamerlani Patruo curata coissent,
Alter Amurathes solium conscendit, & ausos
Christiadas animis sed non concordibus anceps
Ire in certamen Varnae disjecit in arvis
Prorsus, & ingenti cumulavit damna pudore.
Inde solum Pelopis vastavit. Croja ruentem.
Contudit. Hinc rabies tam parvo posse teneri
Objice vim tantam, sisti indignata peredit
Viscera, & iratum Superis Caput abdidit Orco.
Ergo Mahometi cesserunt sceptra secundo:
Postmodò qui trepido spirans graviora peractis
Bizanto incubuit, geminâque indagine muros,
Quà mare, quà tellus, cinxit: crebrisque lacessens
Moenia fulminibus (jam tunc incoeperat ignes
Heu! nimium solers imitari industria sacros,
Saevaque succensi componere tela Tonantis
In terris) tandem disjecit claustra, perempto
Rectori illudens; dominâque est Sede potitus.
Hic est, cui tantò se impendit larga favore;
Fecerit ut gemini praeceps Fortuna potentem

Imperii; curſuque iterum provecta ſecundo
Innumeras Urbes, & plurima Regna furentis
Faucibus obtulerit, ſed non explerit biantem
Congerie ingluviem, vacuamque reliquerit alvum.
Atque equidem diri mens impacata Tyranni
Ulteriùs tendebat iter: jamque objice rupto
Ibat in Oenotriam, cujus præceperat olim
Servitium, vireſque uni devoverat omnes;
Siſteret ut longos Tarpeiâ in ſede triumphos.
Jamque erat in curſu medii divortia ponti
Tranſvectus, Calabraſque furens inſederat oras,
Hydruntumque tenens Italis, Siculiſque minari
Cœperat, & ſectæ ſibi jus promittere terræ.
Nec ſatis indomito: fines telluris inundans
Pannonicæ, Macetumque plagas, ſaltuſque Liburnos,
Illyricumque ſolum, prætentaque teſqua Corinthi
Tranſgreſſus; Carnique jugum, fonteſque Timavi
Jam poſt terga videns, nulloque repulſus ab hoſte
Polluit Adriacas nimiis acceſſibus undas.
Nil adeò immeritis non interjungere caſus
Fortunam puduit, ſeque indulgere furenti.
Non impune tamen; Virtus namque obvia monſtro
Poſtmodò Caucaſeo forti duo fulmina dextrâ,
Auſpice Funigero, prædæque, & mancipe laurus, D. de Capiſtrano.
Suſtulit, & nunquam poſituros contudit auſus.
Illinc Hunniades, hinc Scanderbegus in arma
Scilicet erecti, quorum trux Barbarus hæſit
Objectu; curſuſque modum didicere volucres;
Dirus & hæc inter Stygiis Thrax additus umbris.
Sed tenues, parvæque moræ: nempe auſa Parentis
Filius arripuit; Vindexque ablatus uterque
Ocyùs incœptus intervertere ſecundos.
Ergo iterum in clades, pejoraque damna relapſi

Spes

Spes intercisas, & inanes luximus orsus:
Nuper in exhausti nam quæ subsederat annis,
In vegetis crevit, redivivaque flamma reluxit.
Quippe Baizetes alter truculentior ibat
Viscera in Europæ; ni se furatus iniquo
Germani laqueo vetuisset longiùs ire
Æmulus, & solo sublatus Zyzimus auro
Turpiùs accepto, quàm pacta in crimina misso.
Profuit & Persas Mavors conversus in oras,
Impensusque Pharo, lentè eluctatus, & anceps.
Sic quoque sed nostræ creverunt vulnera partis,
Hostibus atque Hostis suffecit pluribus unus.
Utraque majores nam passa est Mysia clades,
Arreptumque salum, penitusque in vincla redactus
Grajus, & Ausoniæ jam vis admota propinquæ.
Obstitit aggresso mors plura. Hæc sola morata est
Crescentes furias, extremaque damna redemit.
Quòd si Cælicolûm propiùs quis prendere mentem
Contendat prudens, haud nos consumere tantis
Velle malis Superos, stirpemque abolere, videbit,
Sed revocare gradus, perque alta piacula noxas
Eluere ingentes, iterumque aptare saluti.
Nam, quoties spes nulla super, præcepsque malorum
Impetus, & nostris fiducia nulla lacertis:
Hostibus in mediis inventa est ansa ruinæ
Instanti, & summo se fregit cursus in actu.
Hinc fati properata dies; Bacchusque, Venusque
Utiliter nimii: vel fila morantia rupit
Seditio. Externus quòd si non adfuit hostis:
Filius in Patrem se sustulit impia sumens
Arma, vel occulto propinans fata veneno.
Hac cecidit nati præreptus nempe Selimi
Fraude Baizetes, & nostræ victima cladi

Ad

Ad non maturam properavit luridus urnam.
Nec minùs invisæ populos decerpere gentis
Urbibus in magnis stolidè neglecta quotannis
Persequitur rediviva Lues, segetemque coercet
Immensam, fœtusque parùm Lucina secundat,
Frustraturque thoros: &, qui de more licenti
Barbarus uxores iterat, tædasque maritas
Multiplicat; steriles penè exhauritur in usus,
Et resonant rari vagitu infante penates;
Unde opus Hircanis aut emptâ prole reponi,
Aut raptâ, & nostris se in nos implere maniplis.
Tot mala Bistoniis sed collatura ruinis
Necquicquam nostris intercessere periclis;
Nam, quia segnities longum migravit in usum,
Incubuitque sibi; Divos avertimus ipsi
Ultro revertentes: crimenque hinc crevit, & ira;
Corruptusque favor reparatos cessit ad hostes
Pleniùs, & veniæ pugnantes justiùs odit.
Nec, quòd in Europæ non se citò sustulit oras,
Exsolvitque furor; quicquam Fortuna pepercit
Dilatis; nam mox rediit graviore tumultu
Nimbus, & Eois pastus, Libycisque procellis;
Institit attonitis majori mole reversus.
Sic gravis in Medos molitus bella Selymus
Usque super trepidam Turcas Artaxata turmas
Traxit, & Imperii sublato limite fines
Auxit, & in reditu medios afflixit Iberos.
Impiger in Syrias agmen mox intulit Urbes,
Latiùs & fuso per pascua fervida Nilo
Obruit Ægyptum, totamque oppressit Erythram.
Et jam tantus erat, famæ distantis ut horror
Corriperet Romam, Pastorque exterritus omnes
Censitos uno conciret nomine Reges

Forsitan incassum; tantâ se mole ferebat
Turbidus in trepidos, nec sat contra ire paratos.
Una iter evertit Mors interjecta propinquum,
Una minas fregit, ritusque obstruxit biantes.
Sed neque sic nostris sat cautum casibus; alter
Scilicet erexit cristas, pastusque parente
Intumuit, positasque recèns Draco sustulit iras.
Christicolæ, nempe ille subit, qui sanguine gentis
Claruit, & latè Solymanus sceptra tetendit.
Huic, frustra tentata Rhodos, tentataque frustra
Marte Mahumettis Tauruni mœnia portas,
Budaque solverunt, atque instruxere triumphos.
Nec sat inexpleto: medium sibi subdidit Istrum,
Altaque bis quassæ tremefecit claustra Viennæ.
Tunc propiùs confine malum se fudit in undas
Adriacas: turbata Thetis, vastataque Cyclas
Plurima, & à subitis detersæ classibus oræ.
Inde frequens Venetos ex illò turbida fines
Depopulavit hyems; nam, circùm proxima quæque
Dum vorat ille furor; medii divortia tractus
Abstulit, & præceps olim distantibus hæsit.
Adria sic diris facta est contermina Turcis,
Quà mare, quà tellus. Hinc Illyris ora, sed illinc
Nereus Joniis, Ægæisque admovet undis.
At majora vacat lugere; ad sceptra Selymus
Postmodò nam venit Solymani decolor hæres.
Nempe manu segnis, sed tutò immanis, & audax
Cypria jam pridem collecto regna paratu
Aggressus, dudumque terens tanto æquore sectis
Eripuit nobis non tàm vicisse superbus,
Quàm sprevisse Deos, & testes fœderis Aras.
Jam tot perpetuæ potuissent pabula prædæ
Ingluviem saturasse trucem, cæcumque barathrum

Exples-

Explesse, atque avidi rabiem placasse furoris.
Sed, quò plus hausit, plus se stimulata tetendit,
Latravitque fames. Nimirùm barbara sisti
Abnegat esuries, viresque instaurat ab escâ
More lupi, impulsum qui cùm perfregit ovile,
Non, quantum capit alvus, hiat, sed flammea quantum
Guttura deposcunt, lassique in vulnera rictus.
Nam servare modum, laxataque fræna tenere,
Effusasque rotas revocare, & rumpere cursum,
Cùm ruit in præceps: ipsoque in turbine Martis
Jura sequi, &, metas si quid processerit ultrà
Nescia compesci lituis clangentibus ira;
Casibus hoc cæcis, & fato velle relatum,
Heroes norunt soli, quos inclyta Virtus
Format, & Heroum Christina exemplar, & auspex.
Turca aliò rapitur, crimenque in crimine quærit
Turbidus, & scelerum proventum incessit, & urget.
Nam quid labe carens? Quid non Virtutis abhorrens
A normâ; crudelis ubi, cædisque ministra
Ipsa etiam est pietas, & nexæ stirpis origo?
An non germano sancitur sanguine Regni
Auspicium, & fratrum saturatur læna cruore
Induperaturo chlamydem textura Tyranno?
Forsitan Imperii tantum scelus exigat æstus
Anxius, & socios non admissura potestas.
Quid, cùm nulla trahit dubio de cardine tutos
Formido? Sed nudus amor, flexuraque Tigres
Ludit blanda Venus? Quis tunc excuset adactum
Vulnus, & in mediis tractatum amplexibus ensem?
Lunigeri Reges cunctis de Regibus uni,
Deque feris etiam, rabies quas urget, & implet;
Hoc egere nefas, & non rubuere peracto.
Utque aliquem monstrem de tot, Qui primus haberi

Contendit titulis, Quem, quisquis sceptra minatur;
Suspicit, & sequitur: tanti Hic est criminis auctor.
Nempe Mahumetten, bini quem gloria tollit
Oppressi Imperii, cui Marte hinc, inde reclusæ
Bis centum patuere Urbes: cùm sede potitus
Byzanti exuvias, captivaque corpora victor
Censeret, primâ veniens de stirpe Virago
Defixit specie, mentemque incendit amore.
Oris honos quantus, fuerit dos quanta decoris,
Colligere inde potes; mediâ quod strage calentem
Perculit, atque ipsà truculentum pace subegit.
Hæc fuit Irene, quam si vidisset in Idâ,
Dardanus Oebalias Pastor non isset ad arces
Rapturus tædas, tracturaque fœdera Trojam.
Ætas, forma, genus, semperque affinis amori
In miseros pietas: cui stirps eversa, domusque,
Et patria, immanis subjerunt corda Tyranni,
Atque animum flexere trucem. Sed pejùs inarsit
Postmodò sævities; ultúsque est ense, quod unum
Plaudendum fuerat, partemque in landis iturum.
Nam, simul ac sensit molliri pectora pulchro
Congressu, & dirum commercia blanda rigorem
Atterere, in mores hominum, ritusque benignos
Indignatus agi secum per compita ductam
Curribus in rutilis, pompâque imitante triumphos
In mediis sistit populis; tractataque colla
Nuper in amplexu nil jam crudele timentis,
Quin jussæ sperare thorum (meminisse cruenti
Nunc quoque mens refugit sceleris) tracto ense recidit
Lætus, & in vacuis inhumatam liquit arenis.
Is furor in cunctis, fomesque in dispare causâ
Nunc quoque non dispar. Hinc, cui mandata potestas
Legatæque vices: seu bello impensus, & armis

Tractandis: populis seu tutâ in pace regendis,
Quamvis labe carens, insonsque, & criminis expers,
(Barbara scit quantum mens non peccare) laboris
Præmia navati, fracto descendit ad umbras
Gutture, & ingrati procumbit victima Regni.
Nam vigor, atque animi quamvis defecerit ardor
Belligerâ de gente fluens, in stirpe minori:
Idem cædis amor, rabiesque cruenta perennat
Progenie in versâ; luxusque est auctus, & ira.
Atque equidem functo Solymano est visa Scytharum,
Si non ire retro, saltem vis ægra sedere.
Nam, quæ post illum nostra usque in tempora tanto
Constitit in solio Soboles defecta Nepotum,
(Monstrari nec digna tibi, nec nomine dicto,
Excerpi è turba) sensim decrevit, & otj
Dedita desidiæ, lentâque enervis in umbrâ,
Fractaque, fortunâ, non vi, se intendit Avorum.
Arma quìdem rapuit, seque ausis miscuit Unus.
Sed, quem mactati post tot ludibria Fratris
Calcatæ imposuit miles Prætorius aulæ
Osorem Superùm cunctorum semper, & omnis
Juris Amurathen pravùm de nomine quartum,
Quis ferat humanâ dici de stirpe creatum,
Quamvis de captâ jactet Babylone triumphum?
Hanc tamen insesso præceps de culmine pestem
Ablatam Bremio, Venerisque amplexibus, ægris
Abripuit terris, & polluit Atropos umbras.
Cætera Sceptrorum serie, non marte Propago
Nota suo, Moli transmissæ innixa minatur.
Sed prior impulsus puppim provexit in altum
Ventorum quamvis non impellente favore.
Degeneres quantum nam mutavere Tyranni,
Afflictis tantum cesserunt partibus ausus.

Hostraque si quando Gens obluctata ruenti
Obstitit Odrysio, cursum contenta morari
Hæsit, & ulteriùs crudos non pertulit actus.
Ut, cùm Naupacti Lunas disjecit in undis
In fœdus jurata Manus, tantoque cruore
Auxit aquas, Phareo quantum non auxerat olim,
Actia Caucaseo constrata cadavere Tethys:
Ingens principium nulla est fortuna secuta,
Effluxitque vigor, quo spes sublata reponi
Christiadùm poterat, cladesque abolere receptas.
Sed non una fuit processus causa remissi
Omnibus. Hos tenuit vis non instructa, rudesque
Conatus, potiorve quies: hos arma propinqui,
Et suspecta fides: illos civilis Erynnis:
Consilium infelix plures, cassumque futuri,
Nempe reversurum mens non permensa periclum.
Hinc pudor in multos, pejor sed noxa Pelasgos
Insequitur, peragitque reos serpentis in omnes
Cladis, & ulteriùs semper dimota petentis.
Hinc equidem justas meritò dat Græcia pœnas
Crimine non uno læsis obnoxia Divis;
Fœdera nam rupit, fastuque instincta maligno
Descivit Cælo, sociosque superba Latinos
Reppulit, & secum per devia traxit Eoos.
At, quibus immota est, viresque acquirit ab annis
Pura Fides, queis semper opes, animique, manusque
Exertæ, votæque Polo (quantum ægra, minorque
Natalis permittit humus, massæque trahentis
Pondera non pugnant) qui, cùm venerabile Bustum
Sacratum attactu spoliorum Hominisque, Deique
Demere servitio, longumque abolere pudorem
Europa aggressa est, quodque est aggressa, peregit:
Defuimus nullâ suscepto in parte labori:

Quid

Quid tantum in Divos (fas ſit dixiſſe) ſiniſtros
Struximus, & Superûm per crimina movimus iras ;
Stirpis ut infidæ, deſertriciſque perire
More ferat, fierique ſinat graſſante furore,
Latiùs inque dies creſcente acceſſio cladis
Grajugenæ, nulloque pios diſcrimine cernat?
Non tamen indecores animum deſpondimus unquam,
Defuimuſve tibi, Libertas inclyta gentis
Auſoniæ; toties nam noſtra impegimus armis
Arma Scythis, Patriæ quoties tentata vocarunt
Jura manus, læſumve decus concivit in enſes.
Nec raro Virtus molem eluctata triumphos
Rettulit. Ægei teſtis Thrax obrutus undis,
Jonioque mari, totoque exacta profundo
Barbaries, ægrèque ſuas vix tuta per oras,
Et minor æquoreum jam non auſura periclum.
Hæc ſoli, & pauci, longoque in turbine laſſi.
Quòd ſi ſucceſſus urgere, impulſaque fata
Marte ſequi juſto vis ſuffectura dediſſet:
Caſpia non tantos ageret fortuna tumores.
Ille tamen regnat, numeroque, & mole ſuperbus
Cladibus exuperat, repetitaque tela retundit
Objectu ingenti, laſſatque, & conficit hoſtem.
At non à propriis adeò ſpes viribus auget
Barbarus immodicas, & ſe metitur ab Orbis
Tergemini ſpacio latè ſua ſigna ſequentis;
Ut non Chriſtiadûm ſperet majora Potentum
Diſſidio, & noſtris plus non confidat in armis.
Scilicet haud unquam fruſtrata eſt vota Tyranni,
Fertilis in proprias, pugnaxque Europa ruinas
Nominis auſpicio concors, ſed pectore diſcors.
Nec ſolùm vicina juvat diſcordia Turcas,
Bellaque, contiguis, quæ decertantur in oris;

Ipſa

Ipsa sed algentem longè summota per Arcton
Implet, & invisos auget Bellona Gelonos.
Haud proavûm quærenda fides per sæcula cladis
Navatæ Hircanis, & nostro sanguine partæ.
An non Gustavi Moscus concisus ab ense,
Sarmataque eversus truncis mox artubus ægrè
Erexere manus, defectis viribus, acti
Thracis in occursum; pacemque emêre coacti
Casibus in trepidis regnorum parte redempti?
Postmodò Germanum cùm se convertit in hostem
Ille tuus, Regina, Parens, victorque cucurrit,
Præcipites placuit quòcunque intendere gressus,
Utiliùs Turcis populos afflixit, & Urbes,
Quàm sibi, Cæsareas. Tanti illuc summa laboris
Concidit, atque aliquâ respersit labe triumphos.
Quippe sibi nactus momenta accomoda Biston
Altiùs Austriacis nudatos Pæonas armis
Institit, & propiùs fontes accessit ad Istri.
Sed ratio armorum, resque indigesta coegit,
Et quà non decuit, libuitque, incumbere dextrâ.
Tu quoque Theutonidum sano dum Marte laboras
Tollere dissidium bellis impensa paternis.
Sed meminisse, nefas, quicquam irrepsisse sinistri
Christinæ in gestis, & plus, quàm vellet, adactum.
At jam completi cursus, partique triumphi
Et, quicquid fieri statuisti, Marte peractum est,
Firmatumque manu. Socios secura redemit,
Plenaque Libertas. Patris trans vota, modumque
Prolatum Imperium. Quis te jam tangere metam,
Victricemque putet sincerè, & fine potitam:
Respuat hîc sisti si mens; & tenderis ultra?
Hoc Te nunc Gentis communia vota redemptæ
Suppliciter poscunt; sed mox Te plura reposcent,

Spes

Spes olim vegetes, atque incrementa secutæ.
Scilicet ut primùm gelido de cardine fundi
Audiit armatam, propiùsque accedere tantis
Viribus: ultrò animis Europa admovit anhelis
Christinam hinc aliquid timuisse ignara pericli.
Ipse etiam Cæsar, pugnax cui turbine toto
Incubuit nimbus, clades horrore remisso
Pertulit, & magno casus Authore levavit
Non alio saltem decrescere lætus ab Hoste.
At modò sat fuerit Te suspendisse, tuoque
Majora aggresso, sceptrumque in majus ituro
Consilio impendi; penitus quò nostra mederi
Vulnera mox possis, plenamque afferre salutem.
Interea Cæsar prælibet gaudia pacis,
Et data maturo præludat Dextra favori.
Non erit hoc parvum; nam, cùm melioribus orsis
Audiet Augusto te consensisse Gelonus,
Victricesque acies revocare, & parcere fesso:
Protinus effusos convertet pallidus ausus,
Incumbetque sibi. Num, quos Christina perire
Non patitur, demitque suis placata triumphis,
Jam victrix, Scythico velit hos accedere sceptro,
Et sua barbarico corrumpi munera lucro?
Non ea spes fiso insidiis: Vix fœderis icti
Præcipiet famam, lento cùm territus arcu
Colliget interiùs gressus, prædamque relinquet.
Certè, ubi Germanis dominari sensit in oris
Gustavum, & propiùs Cimbras volitare catervas,
Marte licèt crudo, toties nec vulnera passo
Austriaco: proprio percelli Turca periclo
Cæperat, & casus circumspectare propinquos.
Quid Te jampridem Patris vincente trophæa,
Latè aucta Imperiis, exoratumque tuente

Munus, & Augusto pactorum fœdere nexâ?
Hactenus: & pulchris incendit pectora flammis
Odrysio Infensæ. Subiit languentis imago
Europæ, & puduit sceleratæ in commoda gentis
Perdere Christicolas, & se prestare Gelonis.
Nec mora: dissidiis ipsâ ab radice ruendis
Lecta Monisteri Sedes: Cæsarque solutus
Martis Hyperborei curis, & versus in Istrum.
Hinc satis impenso Germanis tempore bellis,
Assertis latè sociis, & finibus auctis
Undique perpetuò victrix Regina receptus
Moliri ad patriam, propiusque incessere tendit
Majus opus, penitusque uni se dedere Cælo.
Namque olim dubias mentis dissolverat umbras
Lux sincera Poli; nec jam terrena placebat
Laurea, Cælicolas ni fama, & præda maneret.
Tanta nec assertæ mulcebant gaudia vitæ:
Sæpiùs ut magni non sit concussa pericli
Admonitu, & reditum non incusarit inertem
Ad Superos, tandemque moras non oderit omnes.
Ergo reversuras secum trans alta catervas
Cogit, & instantes aperit læto ore recursus:
Emeriti Cives, quos non tàm ditat, & ornat
Suscepti spolium Martis, prædivite lauru
Gloria quàm decorat, Proavisque Heroibus æquat:
Contigimus metas optato fine potiti
Bellorum, qualesque decet remeare, redimus
Munere perfecto. Jamque hoc sciat Orbis, in arma
Non magis impigrè Gotam descendere pubem,
Quàm revocare gradum, gladiosque recondere nudos;
Hostis ubi cessit, nec lis sublata perennat.
Hoc siquidem Virtutis opus, verique triumphi,
Et penitus nullo Fama interspersa pudore.

Atque utinam nullis posthac revocemur ab Arcto
Bellorum causis, in quos vetat arma movere
Numen idem, parilisque Fides; nam dispare quamvis
Differimus ritu, quondam censemur ab uno
Nomine, & exiguo colimus discrimine Divos
Non alios. Nec constat adhuc, quos certiùs Æther
Dirigat: atque umbras fugimus, non odimus illos,
Cum quibus & nostri prìdem sensere parentes.
Quòd si pro Superis iterum capere arma placebit:
Non deerunt Hostes, in quos formidine demptâ
Peccandi insurgant vires, pietasque vocetur
Sævities ignara modi. Nunc ense reposto
Instaurate vias, lætique ornate recursus.
Ut, cùm dissecto pugnax discordia cœtu
Turbat apes, abigitque cavis, fremituque sonoro
Arva replet, latèque acies inimicat odoras;
Provida si custos exsuscitat impiger æra:
Pacat Aristæas pax improvisa cobortes,
Abjciturque furor, nubesque industria primum
Cogitur in studium, gaudetque in claustra reverti.
Talis Hyperboream sistit concordia pubem
Nuper anbelantem pugnas, latèque vagatam
Mulcet amor Patriæ. Non ultra Rhenus, & Ister
Allicit; unius sed gaudia Pacis ovantes
Lætifico Patriam jam tunc clamore salutant.
Quod simul ac patuit Germanis gentibus: omnes
Tam, quos exsolvit, quàm, quos compescuit Arctos,
Indoluere abitus: neve ictâ pace carerent
Hospite tam magnâ, recidiva in bella relabi
Optavisse palàm, si non tentasse, feruntur.
Deseruere domos, oculosque implere petentes
Obstruxere vias: &, ni reverentia turbis
Obstasset cupidis, per vim rumpenda fuisset

Semita. Quod licuit: Supremi in marginis actâ
Stant densi, & longo prætexunt littora limbo,
Exceptamque mari votis felicibus implent
Non tamen orantes; ventis ut vela secundis
Tendantur; sed pontus iners ut lenta moretur
Carbasa, & abreptam segnis ferat aura, precantur.
Usque adeò & medio bellorum in turbine mentem
Præstitit innocuam, meruitque vel Hostis amari:
Hoc studium Externis; Patrios at Fama Triones
Ut primùm erexit reditus: succendit, & unà
Gaudia restinxit; nam, qui adventare docebat
Nuncius, hic Dominam pariter probibere triumphum
Monstrabat, festisque fores ornare corymbis.
Quòd si indulsisset justos proferre paratus
Civibus, & tantæ vires expendere totas
Lætitiæ: sectis inducto mœnibus axe
Quadrijugo, innumeris crevissent arcubus urbes:
Caucasea incensis arsissent culmina sylvis:
Templaque Panchæis nigrâssent singula fumis.
Nulla quod effusis potuissent jussa vetare,
Unâ omnes liquere lares plebesque, patresque
Classis in occursum trepidi. Vix vela profundo
Visa; coronatas omnis cùm sexus, & ætas
Insilit in pinus; circùmque amplexa carinas
Turba juvat pigras, & dum juvat, impedit alnos.
Sic, ubi digressam quærenda ad pabula matrem
Post longùm reducem nidi de margine vidit
Natorum jejuna cobors, implumibus alis
Plaudit, & exultat; jam, jamque intrare paranti
Obstat, & impactam nimiùm, prolata repellit.
Illa manum tendens; fastusque ignara tumentis,
Quem rarus non Victor habet, gratantibus ore
Alludit blando incedens, spacioque reperto

Conſcendit currus, atque altæ advertitur Arci.
Sed neque regnorum dulcedo prima, nec aulæ
Conſuetus natalis amor; viſque arbitra Sceptri
Ingreditur ſaturam, verſamque in Sidera mentem.
Altè equidem Patres queſturi damna Receſſus
Tangebant pronum populorum in commoda pectus.
Sed, ſi tralatæ pulchrè proſpexerit Arcto,
Suffectoque Apici metrum monſtrarit, & artem
Tractandi exceptos, belloque, & pace tuendi:
Parciùs in gemitus Cives ſperabat ituros.
Huc ergo incumbit prudens: atque exigit ante,
Quod genus imperii, quæ norma accomoda regnis:
Certiùs unde boni plus, & plus unde pericli.
Noverat æternis jactatum fluctibus anceps
Arbitrium Populi, variumque, & mobile Vulgus,
Incertumque ſui: ſceptroque intenta Potentum
Corda capeſſendo, quoties momenta venirent
Apta: nec in plures partiti fœdera juris
Conſtatura diu, ſocioſque habitura perennes.
Ergo Unum potior viſa eſt ſententia tanto
Sufficere imperio, regnataque pondera molis
In reſponſuros oneri transferre lacertos.
Nec longè quærendus erat, qui poſſet habenas
Moliri Arctoas, & Gotica ſceptra minari.
Hic alter Guſtavus erat de ſanguine Regum;
Nam Palatino lectus de ſtipite Ramus,
Unica Nutricis proles, ſuſceptus, & altus
Tutelæ Arctoæ in gremio. Sed, quantus in ortu
Surgebat, cenſu tantum deſcenderat infra
Cunarum ſortem, magnæque exordia Gentis
Bellonâ verſante domum. Minor inde videri,
Et propè neglectus labi. Sed (ditius omni
Servitium imperio) famulari contigit illi

Chri-

Christinæ obsequiis, & tanto teste probari.
Proderat hoc ipsum, quòd desolata jacebat
Sortis inops Virtus soliis excussa paternis,
Latiùs ut tantis se tenderet area donis
In vacuo, & penitus, quicquid succresceret, ipsi
Referret totum Dominæ, nec parceret Aris;
Numinibus jungi si det, Cæloque locari.
Huic igitur statuit se reclinare, diuque,
Et satis experto transcribere fræna potentis
Axis, & ingrati questus lenire recessus.
Nec tacuit: sensim quò mox assuesceret Arctos,
Propositum: certoque gradu se plura dedere
Indicia. Hinc primis accitus Carolus Aulæ
Muneribus, justàque minor: prolata per illum
Imperia, atque, avidis quicquid lætabile turbis,
Illius indultum precibus: manifestaque tandem
Corda palàm, & nulli jam non Successor haberi.
Huc ubi res ducta est; non ultra passa morari
Impigra supremam maturo imponere cœpto
Approperat Regina manum, Soliumque parari
Imperat extremùm scansura, & læta recedit.




DUO-

DUODECIMI,


ATQUE ULTIMI LIBRI.

ARGUMENTUM.



PLutonis ſub Guſtavi ſpecie Chriſtinam à propoſito deterrentis inſidiæ. Propè nutanti à Superis auxilium. Abdicatio. Iter in Italiam. Laureti ad Deiparam vota, & donaria. Romam ingreditur. In Principis Apoſtolorum templo noctem in precibus agentem D. Birgitta ſub Æditui perſonâ Divi Petri Cathedræ, quam nuper Alexander Septimus exornaverat, & propoſuerat, hiſtoriam edocet. Ad Pontificis Maximi ſolium procedit. Quæ Ipſi Hierarchia, & quæ Ipſa Hierarchiæ viſa fuerit. Ad Summi Sacerdotis pedes procumbit. Ejuſdem ad Eundem ſupplex oratio, & Pontificis reſponſio, à Quo ſolemni Luſtratione Superis exultantibus, & lugentibus Inferis expiatur.

LIBER DUODECIMUS.



PRævia Nox luci visuræ extrema Tiaræ
Tempora ponendæ Cælo subvecta meabat.
Sobria libatis epulis penetrale subivit
Regnatrix Arctoa Domûs intenta futuris.
Utque thoro incubuit tandem cessura sopori,
Acriùs infesto surgentibus agmine curis
Excussa est sperata quies, somnusque refugit.
Obvia venturos namque in certamina casus
Sollicitus, cautusque timor produxit, & audax
Propositum contra vires, fraudesque tetendit;
Invictusque animus dudum luctatus in arcto
Substitit, & dubius, quò tandem vergeret, hæsit.
Africus Æolio qualis cùm surgit ab antro,
(Nec patuit Boreæ conatibus exitus idem)
Liber in immenso glomeratos aere nimbos
Tollit, & oppositi temerarius obsidet arces
Atlantis. Pax alta perit, sacrumque cacumen,
Infessosque Astris humeros gravis occupat umbra.
Talis hyems animum curarum turbine denso,
Obruit, & nigro frontem velavit amictu.
Ecce autem implacidæ post tot præludia noctis
Visus adesse Parens: tristisque, & turbidus ore
Terrifico (nusquam vittæ, testisque triumphi
Laurus) & his trepidas impellere questibus aures:
Quò rapit illusam præceps audacia mentem,
Jamque egressa modum, jam cæca, & noxia Virtus?
Siccine tam parvo constat Diadema paternum,
Ut sit vile Tibi? Quid tantos orsa labores

Oblita es ſexus? majoraque viribus auſa
Non ſemel hinc Dani fregiſti, hinc Cæſaris arma
Teutona Nortmannis involvens damna ruinis?
An Tibi, quò noſtros premeres collata triumphos,
Certamen cum Patre fuit, victoque parente,
Sorduit augeri, pronoque incumbere fato?
Par erat, ut, quando Te fœdera nulla juvarent
Connubii, atque omnes dedignarere maritos:
Tota tuis penitus quamvis fuſiſſima regnis
Cederet, & patrii ſe Vita impenderet Orbis
Uſibus. Anne aliquem noſtrâ de ſtirpe Nepotem
Sufficis Imperio? tantùmque intercidit ordo,
Non genus, & truncus ſterili non aret in arvo?
Sed juxtà vindicta ſubit. Ne finge receſſus
Curarum immunes; hàc, quà vada tuta requiris,
Tenditur in Syrtes. Solio deſcendere nulli,
Nulli impune datur. Quò te trahit impete cœco
Conſilium infelix? Num-quid tibi nomen inane
Sufficiet, nudumque decus; cùm jura tueri
Regia vix arces, vix poſſint miles, & aurum?
Quò vis illa prior, cui ſors altiſſima nuper
Viſa minor; Solioque ideò contenta ſedebas,
Quòd non ulteriùs ſe indulgent Numina terris?
Ocia pigra feret, nec dedignabitur umbram
Degenerem, cui parca Ceres, contractaque ſemper
Nox placuit, ſummuſque labor neſcire laborem?
Cui fuga curarum curæ, mundique ſaluti
Invigilare quies, & pax incumbere bellis?
Quàm meritò mutata fremet, deſertaque tollet
Gens Arctoa caput, nec te dixiſſe timebit
Ingratam, duramque ſibi, meritamque relinqui!
Germanos-ne petes, victiſque latebis in oris
Vultu alio, & poſitis non formidabilis armis?

Quid Tibi, quid pejor poterat Fortuna minari,
Gotica Cæsareæ premerent si colla catenæ?
Quòd si Roma placet, cultusque, & splendida Troiæ
Nomina tralatæ: non hâc Tibi Romula Tellus
Est intranda viâ. Qui Te propè duxit ad Istrum,
Italiæ Mars sternet iter. Ne fide sereno
Suspectæ gentis. Nimiùm sedet alta cicatrix
Ensis Hyperborei, monumentaque nostra perennant.
Hospitis invisæ properè fastidia surgent:
Hinc gravis occursu; mox vix impune latebis
Submota, & tractus habitatrix ultima nudi
Obsequiis, & jure carens. Hucusque sinistros
Ne speres decepta Deos, tandemque soluto
Carcere cessuram molem, seriemque malorum.
Ulteriùs sperni superest. Neglecta jacebis
Præterita ingratis, nulloque repensa sepulchro:
Heu! quoties sceptrum lugebis, Nata, relictum,
Contemptumque Patrem. Dum fas est, collige mentem:
Provida, ne sero crescat jactura pudore.
Hoc gravis increpitu Vox est invecta; nec unquam
Tantundem monitus habuerunt ponderis ulli:
Nil leve, nil dubium, nil menti occurrerat ægræ
Spernendum. Tunc major honos, tunc pulchrior ignis
Muricis, & solio præceps descensus ab alto.
Tantis versa malis, & imagine plena pericli
Innumeri ignotum si non est passa timorem,
Fassa est internum frontis sudore tumultum:
Luminaque ad sedes intendens Ætheris, inde
Polliciti crescente fidem poscebat in æstu.
Nec jam Birgitta æterni vigil addita Patris
Reginæ Imperiis, omnique in tempore præsens,
Pertulit hanc speciem, discussoque aere notam
Obtulit effigiem, fidoque hæc edidit ore:

Exere nutantem tanto in discrimine mentem
Virgo, decus Regum, nec se vis alta remittat.
Inspice Christinam; quod non hac conditur arce,
Frustra erit auxilium. Fortunam, atque æmula Regna,
Naturam, invidiam domuisti, & quicquid ubique
Vel presens ętas, vel congessere peractę.
Tu Tibi nunc spolium, tu nunc vincenda superstas.
Hactenus haud ęquum, nec par tibi contigit usquam
Certamen: nunc lance pari Te examinat intus
Non impar, Regina, labor, sorsque æqua duelli:
Tanta mali moles, quo nunc obsessa laboras,
Sedibus è nigris, vafroque erumpit ab Orco.
Tempestas hæc inde venit; nam fractus aperto
Robore, & articulo gnarus quid perdat in isto
Ultima prætentis frustra movet anxius arma
Consiliis, profertque Patrem, timidasque recondit
Insidias. Vires Quæ vicit, vincet & astus,
Palmaque multifido surget tibi major ab Hoste.

Terrigenas Terramque super Te interrita Virtus
Constituit; minimumque fuit, Fortuna quod usquam,
Vel Natura dedit. Nostrum transibis in agmen,
Cùm Regem exueris, nec jam censebere sortis
Humanæ: Appropera, nocituraque Sceptra relinque,
Et volucri è Solio descende in Sidera cursu.

Vincere Terrarum Dominos an Virgo valeret,
Laurigerosque Duces, non dum sat noverat Orbis.
Jam liquet hoc cunctis. Testis Terrâque, Saloque
Danus, & Augustus. Naturæ vincere jura
Num potis hæc eadem, Regina, atque aucta trophæis,
Conjugii in sortem nullo non supplice Regum,
Affusis populis, & Matre orante nepotes:
Abnuit; atque omni nemo non abneget ævo.
Hæc quoque parta fides. Tot per miracula rerum

Christina ingressa est, & non credenda peregit.
Ulteriùs sperare nefas, nec quærere cuiquam
Permissum. Temet tandem te vincere posse,
Exuere Imperium, Sceptrisque carere superbis,
Reginamque tibi divellere; sponteque, nullum
Quæ es dignata thorum, dura in divortia scindi
Fortunæ in cumulo, primæque in flore juventæ:
Qui credat, nec testis erit. Sibi Numina tantam
Servavere fidem, quæ bis te novere remotis
Impleri, & meliùs Regno regnare relicto.
Tunc tibi rejectis quantùm gratabere Victrix
Exuviis! Quantùm tua te jactura levabit!
Scilicet ad reditus cùm te dimissa vocabunt
Imperia, atque iterum patientur vota repulsam:
Tunc Cælo toties, terrisque ardebit in Ostro,
Et totidem toties crescet Christina triumphis.

Ter ad resumendum Sceptrum irritis precibus revocata.

Ibimus, & famâ precioque augeberis absens.
Cultior exuviis positis, augustior aulâ
Desertâ incedes. Nil Te nil Syrma relictum
Contrahet, aut minuet. Spoliis erit ipsa remotis
Christinæ Christina decus. Nil contulit ostrum
Nam Tibi, sed melior Tu pars, & major in illo.
Ibimus, & mundi quascumque insederis oras,
Has Sors, & Virtus parili ditione beabunt.
Sed quis Te potiùs felix sit Præside tractus,
Quàm cognata Polo, quàm rerum maxima Roma?
Nam, seu sint Reges tractanda ad fræna docendi:
Sive opus, amissum discussâ nocte reverti
Ad Jubar: alterni Tu Lex, & norma laboris.
Hinc tua quò longè possint exempla videri,
Has tibi constituit sedes, hanc destinat arcem,
Excerpsit cunctis qui Te de Regibus Æther.
Sæpiùs ex illò quocunque à cardine mundi

Romu-

Romuleas arces, redivivaque Pergama Reges
Spectatum advenient non famâ, aut molibus acti:
Æternæ, & nullis lapsuræ impulsibus Urbis;
Sed, quò ter denos venerentur culta per annos
Mœnia Christinæ, tantique haud rursus honore
Dignanda Hospitii, similemque habitura colonum.
Nec Cinerum quisquam sedes, & Busta requiret
Mortali sudata manu, cessuraque tandem
Temporis attritu; sed, quæ mansura per ævum
Te inspirante decus, geniumque addente perennem.
Non tamen hunc hospes patietur Roma pudorem
(Per Tabulas quamvis vetet hoc tua certa voluntas,)
Ut non exuviis, quorum ceu corticis ægri
Te piget, & solvi properas, monumenta parentur.
Æqua Tibi saltem, quòd, Quem cura illa subibit,
Innocent. XII. Pont. O. M. *Maximus in terris erit Hic, atque Optimus Idem.*
Nec, si te nullo Tellus ingrata relatu
Pensabit: meriti subeat jactura, nefasque
Ignotum, rarumve putes. Non magna dedisti,
Si redimi Christina potest. Benefacta reponi
Hâc mercede solent, quoties latè aggere rupto
Excessere modum. Morem jam duxit ab usu
Assuetum facinus, dudumque domestica labes:
Nec scelus in Superos, nec noxa frequentior ulla;
Fert tamen, & vacuas transmittit Jupiter aras.
Disce pati, & modulo temet metire Tonantis.
Hæc laus, hæc merces cui non tellure moranti
Invidiosa foret? Cui nam commercia tanta
Cum Superis; pateat venturi ut temporis ordo
Noctis & in medio? Sed te tibi pandere cælum
Imperat, ut nullis frangare invicta periclis,
Impensosque sibi consumes læta labores.
Hactenus Hortatrix, seque altâ in luce recondit;

Chri-

Christinæque nihil, quod non Christina, relictum est.
Inde sopor facilis, nulloque horrore tenebræ
Infestæ, & nullis stridentes manibus umbræ.
Sed jam pulsa quies specie seu rupta propinquâ,
Seriùs Aurorâ seu se Regina tenere
Nescia, vix roseo jam strata reliquerat ortu.
Segniùs exciti famuli, tantique futurus
Successor solii, Dominamque adjere vocati.
Illa ostro saturam largo, gemmisque rigentem
Continuò induitur pallam, vittasque serenæ
Inducit fronti, sceptrumque minatur eburnum.
Agmine mox longo Procerum deducta vetustum
Ingreditur templum, quo mos insignia Regni
Sumere, & in solio sedit sublimis avito.
Sed non ille fragor populi plaudentis, & Æther
Vocibus illisus nimiis, lituique, tubæque
Lætitiæ indicium tremulas strepuere per auras.
Alta sed anxietas, imitataque murmura questus
Undique, & in gemitus ruptura silentia largos,
Unaque frons hilaris, pro quà frons nulla doloris
Nube vacat, tristesque omni stant pectore curę.
Non tamen aspectu luctus immota resedit
Communis, paulùmque hęsit; vultu inde, manuque
Composuit turbæ fluctus, atque ora resolvit.
Rebus in angustis si nostra relinqueret Arcton
Cura, nimis properos damnarem prima recessus
Ipsa, nec urgerem digressus certa propinquos.
Tuta sed hortantur discessus tempora nostros;
Firma nec hinc ullo nutabunt fulcra periclo.
Nam secura quies, nam limite longiùs acto
Nomen, opes auctæ. Dubium non desero clavum,
Jura sed amoveo mihi debita, frænaque solvo,
Quà patitur pietas, & vestri commoda poscunt

Obse-

Obsequii. Latè jam Nos Europa veretur,
Et colit, atque aliquid novit jam Cæsare majus
Judice congressu; nam, quà direximus arma,
Hàc subiit pleno Victoria certa volatu:
Et, quot Mars hostes, totidem dedit illa triumphos.
Nec tantùm patrii contenta est finibus orbis;
Longiùs ingressa est Virtus: diffusaque latè
Usque sub extremo commercia sparsit Eoo.
Arctica jam Tethyn mediam, jam classis utrunque
Navigat Oceanum non una, atque imperat undis.
Quicquid Seres habent, quicquid devexior Indus,
Huc quoque nunc scandit, nostrasque affertur in oras;
Ustaque Vandalicis servit jam Zona pruinis.
Hoc vigor erectę Gentis, fortesque lacerti
Vicere; atque aliquid nostri quoque cura laboris,
Auspiciique dedit; nocuit nec sexus, & ætas;
Ritè per alternum si me sum mensa tenorem
Pacis, & armorum. Successor deerat unus
Stirpis opus nostræ; sed jam nec deerit unus
Mentis opus nostræ; nam supplet Adoptio prolem
Certior, & varii ludibria sanguinis arcet.
Scilicet Arctoæ succedet Carolus aulæ
Stirpx Regum; nostrasque vices fungetur, & omnes
Implebit numeros; nec spes successibus impar
Destituet. Tanti nunquam meruisset haberi;
Ponderibus tantis ni par meruisset haberi.
Conveniet pulchrè vos inter: crescet utrìnque
Temperies felix. Accede, atque accipe sceptrum:
Accipe Hyperborei jus cardinis: accipe Regna
Invicta, & dudum terras dominata per omnes;
Christinamque juvet Carolum legisse, nec unquam
Reclamet nostro victrix Fortuna favori.
De strue tot rerum, quas nunc tibi tradimus ultrò,

Nil

Nil mihi regnatæ Gentis nil præter amorem
Sepono. Has partes, hanc ſpem non cedimus ulli.
Hàc, ſi tralati tanget te gratia ſceptri,
Hàc iter eſt merito referendo; dona repones
Noſtra ſatis, noſtrâ populos ſi lance beabis.
Quid dubitas? Immune tibi, nulloque relatu
Libandum Diadema venit; vinclumque ſecamus
Omne; nec, ut fueris, timeas ingratus haberi;
Nam, ſi peccaris, jam nunc te crimine ſolvo.
Unica, ſi neſcis, tantùm me cura remordet,
Quòd non ulteriùs tantum donare licebit.
Subſtitit: At trepidus, veluti ſibi demeret ipſe
Imperium, nutat, tardèque accedit, & oſtrum
Pallidus oblatum, dextramque affuſus adorat,
Atque ait: Accipio magnum, ſed numine Dantis
Depoſitum majus. Juſſo ſub pondere creſcet,
Deficietque ſimul cervix: Dominæque ſuperbum
Tam placuiſſe mihi, quàm ſucceſſiſſe verendum
Semper erit. Tacuit; moles ſeu muneris ingens
Verba recuſabat: vires ſive hauſerat omnes
Chriſtinæ ſpecies, & Regnis major Imago.
Illa manu certâ Tyrium rejecit amictum
Nullas paſſa moras, niveâque in veſte refulſit
Pulchrior: excelſo qualis ſe vertice Phœbus
Purgat, & excuſſis incedit candidus umbris.
Omnis inaudito ſed Purpura triſtis ab auſu
Palluit, & vinci Regum ſe faſſa recondit
Ambitio. Terras Aquilo concuſſit ab antris
Impatiens proferre caput, trepidoque tumultu
Abnuit, & magno penitus diſſenſit ab actu.
Ecce autem exuto vix murice trina repente
Reddita Chriſtina eſt. Solio permanſit in alto
Altera poſſeſſi Genius, Tutelaque mundi:

Altera Thebanos longè transgressa labores
Affixa est Astris, & magnis Regibus inde
Certior Ursa micat: Quotquot tenet ambitus Orbis,
Regnorum invidiâ donata est tertia Romæ.
Nec jam portentis Populi tam grandibus acti
Ire iterum in questus sunt ausi, & damna recessus
Lugere invisi. Pietas pietate redempta est
Majori; atque obstet ni tendere longiùs Ipsa:
Pulvinar Solio inducant, &, Rege negato
Arripiant Numen, votisque, & thure rependant
Obsequia, atque Unam totis venerentur in aris.
At Christina sibi sceptrorum libera curis
Lætior incumbit, prælataque Sidera terris
Certiùs ut teneat, Romam contendit; in Astra
Unde viæ faciles, & per compendia cursus.
Ergo, animo qualis fuerat quoscunque per actus,
Ætatisque gradus cultus induta viriles
Longum iter orditur. Danos egressa propinquos
Flectitur, atque arcti superat compendia ponti.
Inde subit currus non ultra usura profundo,
Germanumque solum stringit, dextrâque repostos
Parte secat Batavos. Lævum mox versa per Eurum
Flandria culta legit, rursumque ambita sinistræ
Limina Teutoniæ penetrat, raptoque per Austrum
Agmine declinat, parvique hinc mœnibus Oeni
Succedit: raptimque Polo Lustrata futuræ
Præludit pompæ Romani ante ora Parentis
Implendæ. Citat inde gradus, Athesinque secuta
Eridanum transit, magnæque addicta Tiaræ
Tandem Regna tenet, Romanique oppida juris.
Crediderat sexum mentitam, atque agmine parvo
Succinctam non visa priùs per Regna latere,
Atque indeprensis transcendere cursibus Alpes;

Successu

Successu sed cassa fides. Præceperat ante
Fama gradus celeres, Christinamque affore magnam
Impigra vulgarat. Primi sic Phœbus Eoi
Gurgite mersus adhuc, radiorum proditur Orbi
Præcursu, junctosque docent præludia currus
Alba, salutantum cessat nec turba volucrum
Instaurare modos, & lętis plausibus absens
Invitare jubar. Reges hinc undique fusos
Vidit in occursum, cuneisque undantibus omnes
Insessas, plenasque vias, populosque rogantes
Dignari tecta hospitio, geniumque perennem
Inferre ingressu, tactuque sacrare penates.
At simul in summis stetit Alpibus ardua, liber
Unde per Italiam prospectus; mensa parumper
Felices oculis Terras, fœtasque triumphis:
Salve, ait, Heroum Genitrix, carituraque nunquam
Juribus Imperii; nam, cùm vis bellica cessit
Humanas perpessa vices, melioribus armis
Extulit impulsam Cælo demissa Potestas.
Accipe me facilis non bella adversa trahentem,
Martia pacifico sed per vestigia gressu
Tendentem Proavûm, deleturamque ruinas,
Quà dabitur, patrias, teque, & tua sacra sequentem,
Ut simul Ausoniis, & Divis læter amicis.
Dixerat; &, quamvis sæviret bruma, furorque
Cresceret incipiens Boreæ: tepuere reversâ
Temperie tractus, resolutaque flumina puris
Incessere vadis, genioque affata potenti
Compsit se tellus, & floribus induit arva.
Sed non exteriùs tantùm recreata novavit
Hesperia aspectum, laxataque frigora sensit:
Hospitis adventu tantæ majora salutis
Argumenta tulit; nam se nova misit in ipsos

Vivida vis animos, perque omnia membra cucurrit:
Paulatimque ausæ converti in pristina vires.
Atque equidem haud tantis aliàs Fortuna procellis
Merserat Italiam; nam terræ hinc motibus Urbes
Concussæ, sparsæque solo: flamma inde Vesevi
Eructata jugo cinerum, volucrisque favillæ
Diluvio provecta viros, atque oppida latè
Oppressit: glebasque Ceres frustrata Colonos
Lusit, & ad durę revocavit pabula quercus:
Parthenopemque recèns tanto versarat Erynnis
Turbine, ut incertam, nec plena in jura reversam
Deficerent vires, species nec pulchra rediret.
Parte alià squalebat adhuc protrita catervis
Insubria infensis, nimiùm quà proxima Gallis
Humet ab Eridano, necdum revocarat aratro
Pingue decus largo incassum saturata cruore.
Nec minùs, immenso quamvis hinc dissita tractu,
Creta bis Iliaci jam prætergressa labores
Obsidii Adriacos longis exhauserat olim
Auxiliis, tantùm Venetis suffulta lacertis.
Et tamen his etiam longè pejora coquebat
Oenotriæ in luctus accensi Numinis ira,
Heu! malè prolapsos per justa piacula mores
Tractura in leges, atque instructura Nepotes.
Jamque propinquabat clades; nam vindice fato
Romæ, Januæ, Neapolisque Pestilentia. *Dira lues aderat (fas sit dixisse, quod ipse*
Exitus ostendit) Cælo Christina minanti
Sat fuit; & tantæ placuit pro stragibus uti
Indolis exemplo, populosque ad sana vocare
Hospitis auspicio magnæ. Visa inde referri
Hesperia in meliùs, Divos experta secundos
Per quascunque vices; nam, quæ mox contigit urbem
Non unam tabes: Dextræ sua tela tenentis

Indi-

Indicium, non pœna fuit. Sic Juppiter ignes
Arripit Ætnæos summâ missurus ab arce
In longum meritos flammas, stragemque daturus;
Sed mox confessis noxas, crimenque perosis
Flectitur, &, telum quamvis sinat ire trisulcum:
Parcit, & attonitos vix afflat fulminis alis.
Ergo Padi ripas transgressa incessere cursus
Parciùs incœpit, cultusque induta relictos
Hîc se confessa est, deductoresque Dynastas,
Quos supremus Apex Dominâ legarat ab Urbe
Usque sub extremam regnati limitis oram,
Excipit amplexu: vocesque, & munera magni
Devenerata Patris Calybis de nomine dictos
Ingreditur muros, atque Urbis scandit in arcem,
Hespere, nocturnas jam te ducente choræas;
Detergitque viæ paulùm semota laborem.
Sed jam Lucifero Phæbo surgente fugato
Tollitur in currus, cursumque resumit in Austrum,
Æmiliamque secat, finesque egressa propinquos
Pulchra Cisalpini metitur littora tractus,
Arvaque miratur Cereris, collesque Lyęi
Munere felices, pinguique umbrata Minervâ
Culmina, nec prælis quicquam cessura Lacænis.
Ventum erat ad parvi ripas Rubiconis; & undę
Admonita Hesperiis Gallos dirimentis ab oris
Substitit, atque animo permensa est Cęsaris ausus
Dissimili, nimiosque Viri damnavit amores
Sceptrorum: Usque adeò quemquam casura sitire
Regna, per eversæ præceps ut viscera matris
Tendat ad imperium, sceleratque bella capessat?
Talia versanti supremo in margine ripæ
Alterius Romæ objecit se grandis Imago
Sceptrigerę: non qualis erat, transire paranti

Cùm

Cùm se se obtendit Nato, frustraque Parentis
Ingessit nomen, lachrymasque effudit inanes:
Ore sed augusto, majestatisque serenæ
Plena die, & crines lauro, si quando, decoros
Dives Apollineâ; dextramque tetendit inermem,
Et septemgeminas his vocibus obtulit arces:
O' mea Cælicolis vota exaudita secundis,
Ad quæ nequicquam certantes extulit Urbes
Ambitus, & dubio suspendit fata favore!
Jam tandem sperata venis, nostrosque subibis
Permansura lares, Romamque recepta beabis.
Jam non aerias ultrà scandemus in Alpes
Vertice de summo venantes usque sub Arcto
Christinæ adventus, omnique in pulvere frontis
Sidereæ exortus, magnæque crepuscula lucis.
Tende gradum, lectosque Tibi dignare penates
Obsequii secura mei. Quò certa ferantur
Gaudia Romulidis, Capitolj sede relictâ.
Obvia processi: verso nunc impigra cursu
Auspicor ipsa viam, Teque ad mea limina duco
Lætior, in niveis quàm sum complexa Quirites
Curribus advectos, postquam Mavorte secundo
Auxerunt fines, meque implevere triumphis.
Jam, mihi Vandalici quicquid nocuere furores,
Deleo, & Arctoas expungo hac dote ruinas.
Dixit, & ad sedes Tarpeias impulit axem,
Erexitque suos magna ad spectacula Cives.
Subsequitur, Latii quà se tulit orbita currus,
Regina, & Romæ occursu lætatur honoro,
Intenditque viam, propiùsque amplectitur Urbis
Magnanimæ genium, gratosque citatur in actus:
Grandior oblatam, sed mox avertit Imago
Præsidis Ausoniæ speciem, majorque minorem

Majestas operit, Terræque obtenditur Æther.
Scilicet à lævâ, quà se plaga tollit in æquor,
Visa procul radiis consurgere læta coruscis
Tempestas, Laurusque solum de nomine dictum
Stare super, flammasque suas præstare Colonis
Prorsus inocciduas, & nullis noctibus ægras.
Quis novus immensâ perfundit lampade Cælum
Fulgor, & à nullis interpellata tenebris
Aurea per liquidas latè lux imperat auras?
Quæ rutili dos tanta Poli? Quo fonte redundat
Hoc jubar, &, victo quamvis Hyperione nullos
Rejicit obtutus, aciesque admittit, & auget?
Hæc movet, atque audit: castas ubi funditur Æther
Latiùs in terras, & pulchriùs implet inane,
Illam Hominem induto, puràque è Virginis alvo
Numine prolato natali in fornice caulæ
Vagitam constare Domum, licèt arte carentem
Materiæque rudem, Superis tamen instar Olympi
Obsequiis cultam, donisque, & thure frequentem.
Flectitur extemplò inclinis, currumque relinquit,
Osculaque infigit terræ, venerataque Numen
Carpit iter pedibus, clivoque assurgit in alto.
Ardua dum superat, propiùs resonare canoris
Audit, & in numerum flexis concentibus auras
Mulceri: hinc certas distingui in carmina voces,
Alternisque choris adlabi hunc auribus Hymnum:
Usque sub Adriacas Picenii littoris undas
Vox eat, & latè colles, vallesque resultent,
Nullaque non lætis responset vocibus Echo.
Festa recurrenti ducentes agmina lustro
Aerium celebramus iter, sacrosque receptus
Usque Palestinis tractus natalis ab oris
Ad nos, certatim Superûm famulantibus alis,

Adve-

Advectæ per inane Domus, quam prętulit Astris
Æquævus Patri Natus, dum nostra laborat
Effugia in terris, Hominique recludit Olympum.
Quis stupor attonitos habuit per rura Colonos,
Per mare Velivolos, altè cùm tramite certo
Advertêre Casam rutilanti irrumpere nimbos
Illapsu trepidos, radiisque inscribere Cælum?
Æquore transmisso Fraternos institit agros
(Ante Liburnorum paulùm tellure morata)
Non mansura tamen; nam duro offensa recessit
Dissidio, nostrâque locum sibi legit in arce.
Hæc tunc Virgineis meritò plaga Laurea dici
Cœpit ab Hospitibus, mentitaque Fabula cessit.
Nobilis ex illò Picens, atque omnibus unus
Antehabitus terris, titulisque, atque urbibus auctus.
Solemnes hinc ritè preces, gratesque beati
Adventus memores, atque annua sacra novamus.
Huc populi approperant quocunque à cardine votis
Damnati, nudoque ferunt huc vertice Reges
Munera, & appensis augent donaria vittis.
Nec locus insidiis cuiquam; namque Incola Numen
Excubat. Exciti testis Pirata profundi
Interceptus aquis, improvisoque sepultus
Absortu, sacramque sitim restinguere jussus
Inclusis ventis, & tempestate serenâ.
O' nostros dignata lares augere, tuoque
Hanc sedem præferre Polo ne rursus abire
Te gentis noxæ impellant! miserere caducæ
Sortis, & invisum fassis ignosce Colonis
Crimen, & hinc nullos unquam meditare volatus!
Regina hos inter cantus juga scandit in alta:
Mox Ædi propior, Fanoque admota minanti
Regales capitis vittas, gemmataque sceptra

Pone

Ponè jubet ferri, magnique hinc limina Templi
Ingreditur, ſacroque adytis horrore recluſis
Succedit, Divæque pedes amplexa parumper
Hæret anhelanti ducens ſuſpiria corde.
Mox Regni Inſigne expediens, & utrumque beatis
Subjiciens plantis tali prece Numen adorat:
Diva, Coronatas cui ſe ſubmittere Frontes
Altiùs eſt tolli, ſummoſque excerpere fructus
Fortunæ in terris primæ, ne ſperne meorum
Regnorum exuvias, quas nunc cùm ſupplice dextrâ
Pono tibi, pleno video mihi jure reponi
Caſibus exemptas, ſemperque in majus ituras.
Idque erit immenſo cum fœnore, prona rogantem
Si non rejicias; ſed me dignère receptam
In famulas numerare tuas. Regina vocari
Servitio hoc tantùm poſco. Quòd ſi improba vota
Munere tam parvo moveo: nimis alta petentem
Virginitas ſervata juvet; quam Rector Olympi
In te ſic coluit, (ſi fas dixiſſe), Parentem
Ut te facturus mittendi in ſęcula Nati
Non paſſus primis titulos obſtare ſecundos
Juſſerit intacto tibi creſcere flore perennem,
Atque Unam gemini conſortia ſcire pudoris.
Orabat, Divæque pedes ampleſſa tenebat
Suſpiciens vultus; blando cùm lumine ſentit
Pectora pervadi, votiſque alludere Numen
Fronte renidenti, cultuſque, & dona placere.
Hinc lacrymæ dulces, atque addita pondera primis
Obſequiis, actuſque fides jurata per omnes.
Cernuaque in grates iterum ſe fundit, & egrè
Surgit, & æternùm, liceat ſi figere greſſus,
Hîc ſibi conſtituat Sedem; ſed Roma viarum
Meta reverſuræ ritè in commercia Divum.

Ergo gradum revocat fidentior Ætheris alto
Propensi auspicio, curruque recepta secundum
Urget iter; sed versa retrò nequit inde revelli,
Sidereosque Lares iterumque iterumque resumit:
Ablatæque procul species minor omnis, & omnis
Inferior facies, & singula vilis imago.

Non tamen à dextrà neglexit Pauperis ædem
Visere Stigmigeri, donisque ornare sepulcrum
Ditibus; hîc etiam nam se vestigia promunt
Dignati ad similem descendere Numinis Umbram.

Plurimus in cursu locus est dignatus bonoro
Ingressu; pluresque Urbes, populique refusi
Mœnibus, & longo ducentes agmine natos
Obsedere vias, magnæque Heroidis ore
Indulsere frui; quò se jactare nepotum
Mox soboli possent, turbæque efferre minori.

Sed jam Romuleæ promunt se culmine moles
Innumerô: atque Arcus reparato fornice prisci
Altiùs attolli, propiùsque accedere visi.
Ipse etiam Tibris Tuscâ prolatus ab urnâ
Excessit ripis, flavâque decorus in algâ
Sincero lavit muscosam flumine frontem;
Inde vadum servans blandè est comitatus euntem
Fluctibus innocuis, & læto murmere labens.

Ut verò accessus allapsa est fama propinqui:
Omnis in occursum properavit sexus, & ætas,
Omnis Honos. Ipsi, quos vis defecerat ægra,
Oderunt latebras, subitoque vigore refecti
Excessere thoris, ac suffecere labori,
Et non succiduis implerunt plausibus auras.
Hos genus, hos ætas, rapit hos flos aureus oris
Siderei, hos habitus, speciesque erecta serenæ
Frontis, & alternâ Majestas inclyta laude

Pacis,

Pacis, & armorum, circumfusumque virile
Fœmineæ robur formæ, misturaque felix
Indolis, atque acres spirantia lumina flammas.
Diversos diversa magis dos implet: at omnes
Suspendit Regale decus; nam vertice quamvis
Iret inornato vittis: Diademate frontem
Instruxit Numen trino, jussitque videri,
Quæ fuerit Terris, &, quæ rutilabit in Astris.
Quadrijuges cunctantur equi; compressaque turmis
Sustinet incessus, & se non explicat unda.
Pulchrior ò quantò visa est hæc Pompa triumphis,
Queîs compsit se Roma prior! Quanto Agminis ordo
Lectior, & potior! Quòd si consurgere curru
Laurigero optasset, seque ostentare cruentis
Exuviis, latèque struem proferre superbam:
Compita congeriem cœpissent nulla. Phalanges,
Castra, Duces vincti, domitum mare, flumina, montes
Præstò aderant, captæque Urbes, Gentesque subactæ,
Prædaque victricem convecta, & sparsa per Arcton.
Major Honos placuit. Niveo comitata Sororum
Agmine præibat Pietas, Astræa, Fidesque,
Castaque Virginitas, atque una, & plurima Virtus.
Ponè catenatæ Pestes Vis, Luxus, & exlex
Aulai ambitio, vetitoque incensa Libido
Fortunæ in terris summæ, commentaque Ditis
Sæpiùs elusi, tandemque efferre coacta
Hæresis, & veros populis ostendere vultus.
Flexilis in medio Flaminia scinditur Urbis.
Ad Vaticanos fundit se dextra recessus;
Ardua Clavigeri quà Cælo attollitur Ædes.
Læva Quirinalem conscendunt compita clivum;
Dives ubi Attalico se instruxerat Aula paratu
Christinam expectans; atque hàc se pompa ferebat

Deductrix; sed rumpit iter Regina sinistrum
Petri Templa petens: tortumque revertitur agmen.
Jamque in fine viæ Limen subitura beatum
Sistitur, atque exit; vigilem nam ducere noctem,
Et prælusuram magnis exortibus illic
Expectare Diem, longasque exire tenebras
Voverat, & veri perfundi lumine Solis.
Ergo novi spacium mensa, & mirata Theatri
Templa subit propiùs jam se tendentibus umbris.
Non tamen exclusi comitatus pompa recedit;
Sed jubar expectat, successurumque moratur
Luciferum, & noctem votis inclinat anhelis.
Illa, ubi dimisit socios, Templique vacantis
Ingressa est limen, submisso poplite prona
Sternitur; & Trinum veneratur cernua Numen:
Tutelamque loci, cunctosque ex ordine Divos
Poscit, & exhaustis propensos cursibus orat.
Luminibus nox victa fugit: tot lampades ardent
Ante Aras, facibusque procul pellentibus umbras
Aurea multifidis imitantur sidera flammis.
At longùm ducti per tot discrimina Voti
Jam prope facta potens custos Birgitta laborem
Urget, &; extremum quò pulchriùs impleat actum,
Induit Æditui speciem, monstratque petenti
Singula, & obtentas numerat, panditque Figuras;
Nam quis poscenti meliùs miracula tanta
Efferat, Ille Pater quàm cui se exsolverat olim,
Protuleratque sinus; Romæ dum degeret hospes?
Ventum erat ad primæ spectacula sacra Cathedræ;
Unde dari populis certum est Oracula fidis
Haud dubia ex adytis Cortinæ emissa supernæ.
Substitit aspectu in tanto Regina, diùque
Defixa, atque avidè Solium mirata coruscum

Respi-

Respicit Ædituum, cupidoque interrogat ore:
Quæ procul extremo Templi de cardine Moles
Surgit, & insultat tecto, latèque per auras
Imperat, & multo pendet secura Colosso?
Æditiuo tunc Diva latens cunctata parumper
Altiùs orditur, spaciosaque tempora noctis
Versura in lucrum sic est resecuta rogantem:
Longa retrò series; sed te per singula duci
Proderit: atque ideò primà hæc ab origine pandam.
Ætherio postquam Proles æqueva Parenti
Sanguine lustravit terras, Hominemque piavit
Morte suâ: Cæli Proceres vexilla secuti
Convenere simul. Misero stat demere mundo
Servitium infelix, & Erynnias Orbe fugare.
Tota quidem Tellus frenum crudele perosa
Undique magnanimos laudanda ad bella vocabat;
Sed quæ præcipuam posset præstare triumphi
Materiem, Superùmque tholos curvare superbis
Exuviis, summumque decus transmittere Cælo,
Roma fuit: non, quòd totas diffusa, capaxque
Penè catenati Gentes comprenderet Orbis;
Sed quia criminibus pariter, Solioque potentes
Urebant mortale genus, Ditique litabant,
Et conjuratis implebant cladibus Orbem
Fraudibus Impietas, gladioque instructa Tyrannis.
Quid fœdos referam cultus, arasque profanas
Igne suo, turpesque deos, & sordida sacra?
Quid memorem ferri rabiem, Tibrimque tumentem
Sanguine non sonti, lassasque in cæde secures?
Una scelus, vetitumque docet, dextramque cruentem
Acriùs instigans Stygià face suscitat ægras
Irarum flammas, & pabula suggerit ensi.
Exequitur, cumulatque nefas, superatque magistram

Altera

Altera. Decrescit Tellus, impletur Avernus.
Qualis Tyrrheni facies horrenda profundi
Insano baccante Noto: furit ille, superque
Versat aquas, monstratque minas, hostemque fatetur:
Subter at infames scopuli per operta carinæ
Sæviùs incursant. Duplici vaga pinus ab hoste
Solvitur: interea laceratæ fragmina proræ
Sorbet, & alternos lucratur Scylla furores.
Talis erat, tanto longùm quassata tumultu
Casura inferno nutabat Roma Tyranno.
Quis Par horrendum, geminumque lacessere monstrum
Audeat, atque Urbis miseratus fata labantis
Civibus instantem pavidis prohibere ruinam?
Ductor juratæ tantâ in certamina turmæ
Petrus erat, quondam moderator pauperis alnî,
Et vacuæ prædator aquæ: mox Astra secutus
Piscator felix Hominum, lectæque magister
Navis, & in terris à Christo prima Potestas.
Hic sibi non unis vastatam cladibus Urbem
Arripit, & dignas secernit principe pugnas:
Cœtera mandatas petierunt agmina gentes.
Ut leo (conatus si fas est reddere sacros
Impete Massylo, Libyamque apponere Cælo)
Cùm catulos certare docet, si forte boatus
Armentalè sonat, magnos prior ardet in armos
Immitti: natos parvis, matresque relinquit
Providus, ipse truces metuendæ frontis ad ictus
Antevolat, torvumque ducem sibi destinat hostem.
Adventare minas jamdudum senserat atrox
Eumenis Ætherias, &, defensura Barathrum,
Arma quatit, poscitque Virum, Superosque lacessit.
Ille aderat, justasque magis vibratur in iras,
Sollicitatque Polum, miseræque incenditur Urbi.

Quan-

Quantus io ſudor! qualis concurſus aperto
Et Dite, & Cælo ſpectatus! Surgit utrique
Ingens Clava manu, parilique in bella feruntur
Robore terribiles. Illâ furibunda minatur
Arbore Tiſiphone, de quà lethale revulſit
Pomum Dextra nocens. Trunco committitur illo
Iſacides, ex quo Pomum vitale pependit
CHRISTUS, & ingratas nutavit nuper ad auras.
Longa renaſcentis quid te diſcrimina pugnæ
Edoceam, nimiaſque ſeram certaminis iras?
Poſt varios caſus, integratoſque labores
Victa ſub adverſæ repetito vulnere clavæ
Abſceſſit tandem rarò crinita ceraſte
Eumenis, & diro latuit ſub corde Neronis,
Si non Infernas petiit fugitiva latebras.
Debuerat Victor merito circumlatus oſtro
Componi Solio, rutilâque in ſede levari.
Debuerat grandi redimitus tempora lauro
Plena per immenſæ ſpatiari compita Romæ
Vectus equis niveis, & de temone ſuperbo
Arduus Æneadas diffuſo implere triumpho.
Sed nondum penitus ſceptrorum jure potito
Præcox ſordet honos. Subito corrumpere faſtu
Nobile principium, ſacrique exordia regni
Odit, & abſiſtit. Multum reſtare laboris,
Bellorumque videt; prudens hinc marte ſecundo
Succeſſus urgere parat; ne rurſus in arma
Surgat, & inſtauret redivivos Dira furores.
Quod decuit, multâ miſeros ex parte Quirites
Aſſeruit Superis, parvoque, arctoque Curuli
Sedit, & Imperii ſumptas tractavit habenas,
Non, ut ſervatà tumidus regnaret in urbe,
Sed, procul ut pulſum Romanis arcibus hoſtem;

Poſ-

Possessumque diu Furiis se vindice tandem
Respirare Solum, pacemque habuisse pateret.
Intereà totâ socii tellure vagantes
Vincla, Petrum, Claves, sancitaque Jura sonabant,
Suffectamque Polo Romam, sacràque gerentem
SEDE vices Superùm missis cumulare jubebant
Muneribus, dominamque Fide, cultuque fateri.
Ergo alacris latebras, timidosque exosa recessus
Relligio erigitur, rebusque accommoda lætis
Vestimenta capit, pompamque ostentat Averno.
Vellera transmittunt Seres, pia thura Sabæi,
Cinnama dives Arabs, saturatas murice lanas
Dat Tyros; at Numidæ crustas, & marmora templis
Non indigna vehunt. Pulcrà quodcunque superbit
Dote Solum, sua dona legit, Superisque remittit.
Hinc auro, gemmisque gravis facturus ad Aras
Fulget, & ex omni ditatur gente Sacerdos:
Illinc admotæ Cælo vaga nubila sacræ
Submittunt Ædes, assertaque Sidera tangunt.
Has super aerium Petri de nomine Templum
Imperat, & tantum Tarpejam despicit arcem,
Parte Poli medià quantum, cùm plurimus ardet,
Astra premit Phœbus, stellisque minoribus obstat.
Quo tumeat spacio: quàm longe fronte minanti
Exeat, atque Vibis nimium per culmina regnet:
Quantus Apelleæ, quàm multus spiret ubique
Phidiacæ sudor dextræ, dextreque Myronis,
Ipsa tibi testis nostræ non indiga vocis.
Claviger hinc seri Præses capit ampla triumphi
Gaudia, & exactæ fruitur dulcedine pugnæ.
Rursus &, ex alto pronus dum spectat Olympo
Regnantem tellure Fidem, certàque beantem
Pace solum; longam tenebroso in carcere noctem,

Infer-

Infernasque acies, obversaque funera Cęlo
Instaurare cupit, mensosque iterare labores.
Qualiter extremo Phœnix reparatus in ęvo,
Cui jam vita recens, & olentes funera plumę:
Aera cùm primùm redivivis verberat alis,
Ipse fugam celerem, meliùsque ardentia colla,
Purpureumque jubar capitis, pictamque juventam
Miratur, seniumque cupit, rursusque reponi
Igne alio, casiàque iterum flagrante novari.
At non intentum Molis capiebat Imago
Totum pulchra suę, vacuoque in pectore multùm
Deerat, ut pleno satiaret lumina visu.
Tot siquidem cultus inter, speciemque nitentem
Sacrorum mærere situ, nudamque videbat
Destitui, & templi semotà in parte latere,
Quà primùm populis edixit jura, Cathedram,
Antiochi postquam de nomine prætulit Urbi
Romuleas arces, & Tibri cessit Orontes.
Cur meritæ dilatus honos? quid pulvêre multo
Condita nesciret melioris sæcula mundi?
Hacne novus sedeat, cùm primùm sumit habenas
Successor dominas, pronoque imponitur Orbi?
Hinc Superùm consulta petat, tripodasque profanos
Obstruat, & certi referet pia dogmata Cæli;
Et longùm squalere sinat, tristique senectà
Obnubi, & Templo non respondere corusco?
Atque equidem dignos habitus, meritamque juventam
Expectaret adhuc; ni provida fata tulissent
Gente Virum CHISIA Cælo donante creatum.
Hunc animo, titulisque parem, similemque Tiarà,
Sæpiùs optatum terris, ad grande volentem
Vibrat opus, laudumque pio succendit amore.
Ergo animi fidens, tantoque hortamine plenus

Erigitur CHISIUS, nisuque intenditur alto.
Principiò Romam sæclis carpentibus ægram
Expolit, & reparat, viridesque reducit ad annos.
Hinc subitæ domum series consurgere jussæ
Fronte pari, atque æquo transgressæ culmine nubes.
Inde viæ faciles, nitidæque, & tramite largo
Porrectæ, nusquamque ausæ pendere ruinæ.
Si quà deficiunt Urbis monumenta vetustæ;
Integrat, & firmat; cultuque reponit honoro:
Si quà discordant structuræ membra recentis;
Amputat, & pulcro reficit molimine vulnus.
Sic CHISIUS multà præludit mole CATHEDRÆ;
Perpenditque manus, viresque & robora librat;
Mox ingens invadit opus, Soliumque verendum
Arripit; & magnum vis fert consulta laborem.
Quanta per expositos ruptis effusa caminis
Undat agros, rutiloque vorat sub flumine campos
Ignea vis flammæ; nimiùm cùm sulfuris alti
Eluctatur onus, ventisque incenditur Ætna:
Tanta laboratos Solio paritura Colossos
Æra natant; positoque rubent mollita rigore.
Excita surgentes ardenti è gurgite formas
Obstupet, & sacros miratur Roma Gigantes.
Nec dant indecores, aut nomen vile tenentes
Stagna Viros, tantùmque habiles pro rupe locari,
Sed lectos, operique pares, dignosque beatà
SEDE premi, plenamque Deo perferre CATHEDRAM.
Ære simul, meritisque tument. Pars Una Latinos
Exornat Patres, pars altera tollit Achivos,
Utraque Christiadas firmat; nec viribus ægris
Impar audet onus: longâ virtute meretur,
Fidat ut humanis Moles operosa lacertis
Posse regi. Tenuit Cælum cervice valenti
Sæpiùs,

Sæpiùs, & dubiâ vetuit nutare ruinâ.
SELLA pari ſurgit circumvallata metallo,
Occuliturque ſimul, pariterque effingitur auro,
Et manifeſta latet: qualis per nubila Phœbus
Rara micat, radioſque tegit, radioſque fatetur,
Obductuſque nitet: dubiæ translucet imago
Lampados, & flavâ nubes depingitur umbrâ.
Alma viden quantâ dilectam luce Columba
Ambiat, & pulchro radiorum velet amictu?
Cernis, ut extantem deceat, ſignetque Tiara
Imperio, Claviſque duplex, cui clauſtra Barathri
Nigra patent, Cælique patent clauſtra ardua puri?
Ipſa decus regni, legeſque, & jura tueri
Sola poteſt; tantâ quaſſat formidine Sontes
Grandis ab excelſo Majeſtas indita Cælo.
Vos, quibus ad certi caligat lumina Solis
Heu! nimiùm denſis mens circumfuſa tenebris:
Eſte procul, diramve animis expellite noctem.
Vos porrò, æternùm meritæ quos devovet iræ
Eumenidum deſerta Fides: procul ora, graduſque
Ferte, nec acceſſu SOLIUM violate profano.
Heu! miſeri properate fugam. Ruet Ipſa propinquum
In ſcelus: ardebunt nubes, totique tonabunt
Sponte poli, SEDIQUE ſuæ pugnabit Olympus.
Dicentem, atque aliquid pluſquam mortale ſonantem,
Egreſſamque modum narrantis ſuſpicit Arctos
Regina, atque haurit; magnæque Curulis honores
Altiùs Æthberio correpta horrore recenſet.
Sed jam condiderat ſe nox; ſoliſque propinqui
Pallida flammiferos fugiebant Sidera currus:
Supremumque actum ſacri viſura triumphi
Fervet, & heſternos inſtaurat Roma tumultus.
Nec mora: Alexander, quo Succeſſore Tonantis

Vu 2 *Utitur*

Utitur in terris Petro commiſſa Poteſtas,
Ardua tergeminis redimitus tempora vittis,
Fulgidus & pallâ gemmis, auroque rigente
Chriſtinam opperiens Solium conſcenderat altum.
Hinc, atque inde Patres conſidunt murice ſacro
Purpurei, mox Ordo ſequens, & proximus Oſtro
Adſtat, & ex illo partita claſſe minorum
Digeritur ſeries: aditus cuſtodia ſervat
Infima, & armigerum juxta hanc ſe porrigit agmen.
Illa aderat, tantâ ſed majeſtate parumper
Mota gradum cohibet; nec jam Terrena videre
Viſa ſibi, rutili ſed ſcandere limen Olympi.
Non tamen imparili perfudit luce Tuentes
Aſpectu Regina ſuo, licet omnis abactus
Luxus, & inceſſu ſe inferret lenta remiſſo;
Candidaque ad talos demiſſa obnuberet artus
Virginis, & Tyrium neſciret Palla venenum.
Qualis ubi purum profert argentea cornu
Luna, nec à ventis, nimioque incenditur æſtu,
Nullaque noctivagas ſuffundunt nubila bigas.
Non ibi rumor erat miſcentis murmura vulgi,
Sed penitus ſuſpenſa quies, quam poſceret Æther,
Dignetur ſi nuda palàm commercia Terris
Jungere luſtratis, viſuſque admitteret ægros.
Conſtitit ut verô propiùs, Solioque coruſco
Acceſſit; tunc urget iter, magnique Parentis
Procidit ante pedes ſubmiſſa, atque oſcula figit.
Protinus ille Pater dextram porrexit, & ore
Libavit ſacro frontem, vultuque ſereno
Suſtulit amplectens, & amantibus ambiit ulnis;
Nec procul erectâ, rutilâque in ſede recepit.
Tunc Chriſtina prior paulùm cunctata profatur:
Maxime Chriſtiadum Rector, qui Numina noſtris

Conci-

Concilias animis à Cælo prima Poteſtas,
Suffectumque Caput Superis : de cardine lævo
Terrarum poſito regnorum murice ſiſtor
Antè tuos Chriſtina pedes; nullamque ſalutis
Eſſe viam cuiquam, niſi, quam præſternit amicis
Miſſa Polo Romana Fides, nunc ore fatemur,
Faſſæ olim ſceptris, actuque fatebimur omni;
Ulla nec hoc ullo vertet Fortuna tumultu.
Tempora conquerimur dilata, & ſerò dolemus
Imperii precio Superorum ſegniùs emptum
Fœdus, & in mediis heu! deſediſſe periclis.
Sed penſare moras amor eſt, metamque tenere,
Rurſus & à recto nuſquam deflectere curſu.
Accipe Tu reducem Paſtoris ovilia Divi
Fida requirentem, fonteſque, & paſcua verſæ
Indulge in melius, tutamque admitte ſub umbram.
Hàc Chriſtina tenùs. Graviter mox ora reſolvit
Claviger, & totus Cæli, totuſque Tonante
Poſſeſſus paucis includit plurima dictis:
Lætior in Superis, quamvis hîc ſingula vernent,
Iſta Dies ridet. Solium nunc tollitur illic
Chriſtinæ. Tituli redeunt, & nomina ſurgunt
Obruta nocte gravi, nullumque habitura vigorem
Non admiſſa Polo. Nos Te pro Numine Trino
Accipimus; maculaſque omnes, omnemque fugamus
Pleno jure ſitum, patriiſque adſcribimus Aſtris.
Dixerat, & teſtis propenſi Numinis Æther
Intonuit lævùm; radiiſque refulſit Olympus
Aureus, & niveo Chriſtinam circuit igne.
Ingeminant Terræ plauſus; ſed triſtè remugit
Orcus, & excuſſis ſonuerunt antra catenis.

FINIS.



